Roman Law

L.L.

DISPUTATIO

DE

CRIMINE AMBITUS ET DE SODALICIIS APUD ROMANOS TEMPORE LIBERAE REIPUBLICAE.

SCRIPSIT

S. H. RINKES,

LITT. HUM. ET IUR. CAND.

LUGDUNI-BATAVORUM

APUD E. I. BRILL,

ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

MDCCCLIV.

EX TYPOGRAPHEO J. C. LA LAU.

SIMKONIS HEERTSII RINKES,

Ioura-Frisii,

LITT. HUM. IN ACAD. LUGDUNO-BATAVA CANDIDATI,

COMMENTATIO

QUA

RESPONDETUR

AD

QUAESTIONEM

A NOBILISSIMO ORDINE IURISCONSULTORUM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

ANNO MDCCCLII

PROPOSITAM:

DE CRIMINE AMBITUS ET DE SODALICIIS APUD ROMANOS, TAM LIBERA REPUBLICA, QUAM SUB CAESARIBUS, HISTORICA INSTITUATUR DISQUISITIO,

PRAEMIO ORNATA

DIE VII M. APRILIS MDCCCLIII.

PARS PRIOR.

MONITUM.

Quum mihi multa, quo tempore haec scriptio typis mandabatur aut melius essent perspecta, aut nova etiam innotuissent, mutandi venia a Viris Clarissimis humanissime mihi concessa ita usus sum, ut quae addidi, religiose uncinis ab ipsa commentatione seiungenda curaverim, ne amicissimi victoris laudibus detrahere voluisse viderer.

Alteram commentationis partem, in qua de honorum petitione sub Caesaribus disputaram, non edidi; illud enim argumentum a nostra disputatione seiungendum esse videbatur.

PRAEFATIO.

Saepe cogitavi, quid tandem esset, quod multi Iuris Romani scientiam contemnant, eosque, qui illi studiorum parti maiorem dent operam acuto suspendeant naso, operamque eos perdere dicant.

Cuius rei haec mihi caussa praecipua visa est, quod illi non intelligunt quid prosit scientia iuris alicuius populi ad historiam, ad vitam, totius populi recte perspiciendam et cognoscendam. Caecam enim puto esse populi cuiusque historiam nisi probabilis accedat historiae iuris, tum privati tum praesertim publici cognitio, et eum contendo micare in tenebris, qui sine iuris

scientia historiam, vel sine historia, alicuius populi leges recte intelligere et cognoscere studeat.

Quum semper studium Iuris Romani coniunctum cum veteribus Litteris mihi placuerit, pergrata accidit quaestio a nob. Ordine Ictorum in Acad. Rheno-Traiectina proposita, in qua explicanda virium periculum facerem.

Simulac aliis studiis districto licuit, manum operi admovi; sed quod laetus inchoaveram opus, tristis e manibus fere elabi sivi, tum quod alia impedimento fuerunt, tum praesertim quod intellexi, quam impar ad hanc quaestionem tractandam accesserim.

Qui operam dare inceperam, nolui tamen rem, antequam, quid possem intellexissem, abiicere et sic ad qualemcunque finem pervenire studui, quo quum pervenissem, permulta opellae meae deesse probe agnovi; videbam permulta esse non satis expedita, alia fortasse male diiudicata, vel perperam scripta, quod in iuvene aliter fieri vix potest.

Quod aliam sum in hac commentatione secutus distributionem, quam fieri solet in iuris Romani historia

enucleanda, ii certe non reprehendent, qui cogitent, ambitus mentionem inveniri tum demum, quum quae solet in historia iuris aetas prima nominari iam praeteriisset postque AUGUSTUM et TIBERIUM illlud crimen in Romana civitate *fere esse exstinctum vel aliam certe induisse formam quam liberae Reip. tempore.*

„Quum studia nostra potissimum iuvent quae magna „rerum conversione cernuntur" opusculum ita distinxi, ut quae Reip. tempore in ambitus crimine acta sunt bifariam dividerem, nempe quae ante, quaeque post SULLAM acciderint, praemissa breviore disputatione de ambiendi modis licitis et illicitis.

Diligenter et religiose ubique, quos secutus sim scriptores adscripsi: non quod magni apparatus vel multiplicis lectionis laudem captarem, sed ut haberem, quo sententiam meam defendere possem.

Imprimis classicos adii scriptores, ut ipsis fontibus cognitis meam, si ab aliorum opinionibus discreparet, confirmare possem sententiam.

Et sic eat quo fata vocant libellus, quem vobis Viri

SECTIO II.

CAPUT I.

CAPUT II.

DE

AMBITU TEMPORE REIPUBLICAE.

SECTIO I.

DE MODIS AMBIENDI LICITIS ET ILLICITIS.

Inter crimina publica Romanorum nullum esse arbitror ex quo melius Reip. condicionem diversis temporibus cognoscere possis quam crimen ambitus.

Quod crimen in historia Romana utramque facit paginam; committebatur enim ab iis, qui quotannis Remp. capessere cupiebant et revera administrabant.

Mirum igitur nemini accidere potest iam multos antea exstitisse, qui huius criminis historiam conscribere in animum induxerint; sed adhuc multa manent perperam intellecta vel non satis expedita.

Cuius rei quum multae aliae caussae sint, tum inter primas haec numeranda esse videtur, quod illi omnes iurarunt in verba CAROLI SIGONII [1]) viri magni quidem nominis et ingentis doctrinae sed qui multas quaestiones leviter aut omnino non attigit; in aliis multis, non

[1]) Scripsit ille de ambitu: lib. II. de Iudiciis c. 30.

idoneis usus auctoribus non pauca de suo finxit, quae diu pro veris concoquebant viri docti, donec alii exstiterint, qui quid rei esset indicarent [1]).

Hunc SIGONIUM secutus est inter plures BOUCHAUD [2]) qui libellum peculiarem conscripsit de ambitu, quique, quamvis prae se ferat (in fine disputationis suae) se meliora docuisse, quam qui antea de hac materie scripserint, satis graves errores commisit, et nonnunquam in Antiquitatibus Romanis vehementer lapsus est.

Qui huic antecessit IOS. GABALEO, comes Sarmatorius [3]) (vel qui dicitur hanc scripsisse commentationem G. MASCOVIUS) non tam copiose, sed ut mihi videtur, melius rem gessit [4]).

Sed videbimus de his infra, ubi eorum opiniones si opus erit diiudicabimus.

Memor illius Tulliani: omnem, quae a ratione suscipitur de aliqua re, institutionem, a definitione proficisci debere, ut intelligatur, quid sit id de quo disputetur [5]) apponam primum definitionem vocabuli ambitus.

---

[1]) Vide exempli gratia GEIB., „Geschichte des Criminalprocesses." Leipzig 1841. — in praef. p. 1.

[2]) Recherches sur la loi Iulia de ambitu. — Disputatio illa inserta est vol. XXXIX. des Mémoires de Littérature de l'Acad. Royale des Inscriptions p. 382—436. A[i]. 1777.

[3]) Disputatio ad legem Iuliam de ambitu. Lipsiae 1743. Invenitur etiam apud FELLENBERG Iurispr. antiqua. Vol. p. 447—489. Usus sum ed. Lipsiensi.

[4]) In patria nostra prodierunt, quoad sciam superiore saeculo V de crimine ambitus dissertationes, quae omnes in plerisque SIGONII vestigia premunt: GUILIELMUS DUIRCANT Tr. a Ph. 1710. TT. BEELDSNIJDER MATROOS, L. B. 1717. EGBERTUS TEMMINCK, L. B. 1723. JOANNES PETRAEUS, L. B. 1733.

[EGBERTUS COTIUS, de nundinationibus honorum. Tr. ad Rh. 1730.]

[5]) CIC. de Off. I. 2. § 7.

Ambitus est i. q. *circuitus* teste VARRONE [1]) qui scribit: „nam ambitus circuitus, ab eoque XII tabb. interpretes „ambitum parietis circuitum esse describunt."

Haec primaria vocabuli esse videtur significatio quod et aliorum confirmatur auctoritate [2]).

Inde, qui populum circumibant ut honorem peterent *ambire* dicebantur, quod iisdem locis ab iisdem auctoribus docemur.

Hoc tempore aliud erat discrimen inter vocabula *ambitionem* et *ambitum*, quam illud de quo mox agam; nam *ambitus* postea dici coeptum est in malam, *ambitio* contra in bonam partem.

Erat antea in *ambitu* nihil quod turpe videbatur et qui *ambibant* populum, *ambitione* ducebantur i. e. *ambitus* tunc significabat actum populi circumeundi, *ambitio* tribuebatur animo eius, qui ambibat.

Est ille usus horum vocabulorum non tamen sine exceptione, ut per se intelligitur. Sed idcirco posui quod apud CICERONEM [3]), aliosque bonae notae scriptores plerumque hoc discrimen servatur inter *ambitionem* et *ambitum* quod modo posui.

Utar igitur voc. *ambitionis* ut honoris petitionem licitam, *ambitus* ut honoris petitionem illicitam indicem.

Ambitio etiam apud bonos Latini sermonis scriptores postea invenitur eo sensu proprio, quo antea usurpabatur ut v. c. in notissimo illo Sallustiano [4]): „Ambitio „multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in

---

1 VARRO de Lingua Lat. IV. p. 9. ed. SCALIGERI. — Amstel. 1623.

2) NON. MARCELLUS, p. 165. ed. Gerlach et Roth. — Basiliae 1842. FESTUS in voc. p. 5. ed. MÜLLERUS. Lips. 1839.

3) ERNESTI, Clavis Cicer. voc. *ambitio.*

4) SALL. Bell. Catil. 11.

„pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias „inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare, „magisque vultum, quam ingenium bonum habere." Haec dicta sunt de cupiditate, de studio alicuius, qui quemcumque honorem appetit, non de eo, qui magistratum petit.

Quod discrimen mox usu est sublatum, quum Romani didicissent illicitis modis petere honores, ex quo inde tempore nostra quaestio repetenda est.

Dicendum igitur est:

1. De *ambitione*, quae continet omnes artes et machinationes, quibus solebant etiam honestissimi et innocentissimi cives honoris petitionem adstruere.
2. De *ambitu*, quo continentur omnes modi honores petendi legibus vetiti.

CAPUT I.

DE AMBITIONE.

De modo, quo honesti cives ambibant, tempore CICERONIS, multa nobis tradita sunt in opusculo Q. CICERONIS quod inscribitur, de *petitione Consulatus* in quo perfectam ambitionis depinxit rationem et formam. Hoc opusculum, epistolae forma scriptum ad MARCUM fratrem, quum is consulatum peteret, omnes secuti sunt, qui de ambitu scripserunt. Constitui tamen de iis rebus aliquanto brevius, de nonnullis, quas illi vel omnino non, vel leviter attigerunt, copiosius exponere [1]).

[1]) Multis de hoc libello egit I. G. TYDEMAN in dissertatione L. B. 1833.

Petitio magistratuum divisa erat in duarum rationum diligentiam, quarum
altera in *amicorum studiis*,
altera in *populari voluntate*, ponenda est [1]).
De his seorsum est videndum.

§ 1.

De amicorum studiis in petitione.

Amici sunt in petitione ii omnes, quibus cum candidato quaelibet intercedit necessitudo et solent ii maxime candidatis favere, ut semper credo factum est, qui inter affines et tribules numerantur.

Omnes illi amici erant a candidato observandi et colendi [2]); vel ut hoc verbo ferme solenni dicitur: *prensandi;* quod qui facit sine ulla turpi adulatione dicitur *more maiorum petere* [3]).

Romani praesertim in foro et in campo si opportunitas dabatur petebant. Sic CICERO incepit petitionem prensatione adstruere, in campo comitiis Tribuniciis [4]) i. e. postquam consules in sequentem annum erant designati [5]).

---

[1]) Q. frater de petit. consul. 5. § 16.

[2]) Inde confici potest multum temporis a candidato consumi in honoris petitione. — Sic CICERO scribit ad Att. I. 1. se prensandi fecisse initium a. d. XVI Kal. Sext. i. e. statim post comita consularia quae vulgo habebantur m. Quinctili. Per totum igitur annum CICERO consulatum a Pop. Rom. petiit. Qui tamen etiam longius ante tempus petebant, contemnebantur vid. exemplum GALBI apud CIC. l. l. ubi illius prensatio dicitur *praepropera.*

[3]) CIC. ad Att. I. 1. ubi GALBA dicitur sine fuco et fallaciis more maiorum petiisse.

[4]) CIC. ad Att. I. 1.

[5]) Vid. § 6. Sect. 2ae.

Hoc praesertim agebant ut ne soli descenderent in forum vel in campum; amici iis [1]) aderant, quibus nomen erat datum *sectatorum* [2]).

Hi, qui quoties candidatus domo exit in forum vel in campum descensurus, eum *deducunt* (quod hac in re verbum solenne est) vel ex foro eum *reducunt* [3]) plerumque sunt ex amicis [4]), quamquam in ea sectatione cernitur etiam populi voluntas [5]). Quo maior enim erat numerus sectatorum eo melius petitio candidato processura videbatur.

Sectatoribus nobiliores sunt *deductores*, a quibus multum sperabant candidati [6]); erant enim hi saepissime ex amplissimis civibus [7]), qui auctoritate et gratia pollebant, quique certis temporibus [8]) candidatum comitabantur. Curabant candidati quam plurimum si in publicum prodiissent ut ubique locorum haberent homines nobiliores, quibuscum colloquerentur, ambularent cett. quod confici potest ex CICERONIS verbis [9]):

„Neque enim fieri potest, neque postulandum est a „nobis, aut ab Equitibus Romanis, ut suos necessarios „candidatos [10]) sectentur totos dies, a quibus si domus

---

[1]) De his postea legem esse latam ita ut nonnullis in casibus sectatores ad illicitam honorum petitionem referri possint, infra dicemus.

[2]) [CIC. de Or. I. § 239 seqq.]

[3]) VAL. MAX. II. 1. § 9. *ad curiam deducere* et *reducere*.

[4]) TYDEMAN diss. l. p. 55.

[5]) CIC. p. Mur. 34 § 70 sq.

[6]) Q. fr. de pet. Cons. 9 § 36.

[7]) Sic CICERO scribit ad Atticum. l. II. Ep. 1. Se consularem (anno post consulatum) [cum Clodio] candidatum deduxisse.

[8]) Intelligendum hoc esse videtur de statuto diei tempore. Cf. etiam Q. fr. de pet. Cons. l. l.

[9]) CIC. p. Mur. 84 § 70.

[10]) [Voc. *candidatos* h. l. spurium est. Primum iam satis inest voc.

„nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, „*si uno basilicae spatio honestamur* diligenter observari „videmur et coli."

Aliud genus hominum *salutatores* dicuntur. Qui enim aliquid valebant [1]) mane in atrio sedere solebant ut amicos, clientes aliosque qui iis devincti essent *reciperent* [2]) salutatum venientes: quod prae ceteris fecerunt magistratus [3]) et candidati [4]). Erat illa salutatio tamen iam tempore CICERONIS mutata ab antiquo instituto: „qui „(salutatores) vulgares sunt et hac consuetudine, quae „nunc est, plures veniunt" [5]) quae non sunt intellecta ab HOFFA [6]) qui priora verba sic explicuit: *qui magis vulgares* i. e. „minoris momenti et splendoris" quod longe secus est. QUINTUS fr. dicit: veniunt illi salutatores apud te et competitores tuos et hanc ob causam *vulgares* eos dicit, additque: plures veniunt hac consuetudine i. e. quum qui proprie competitores tuos colunt, etiam te salutant, quod ex iis, quae mox sequuntur, luce clarius apparet.

---

sectentur, quod orator sibi vult; deinde si recte Lat. scribitur, dicendum est: „ut candidatos s. nec. sect. t. d."]

1) Hinc explicandum quod CICERO dixit p. Mur. 34 § 71 de tenuioribus: „ipsi denique, ut solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, *non vocare domum suam possunt.*"

2) MART. Ep. IV. 8. „Prima salutantes atque altera continet hora." Plura de his collegit PETRAEUS diss. I. p. 11. sq. § 9.

3) Notum est illud consilium duorum coniurationis Catil. sociorum, qui CICERONEM interficerent consulem quum salutatum veniebant. — SALL. B. Cat. 28. cf. Q. fr. de pet. cons. 13 § 50.

4) Q. fr. de pet. Cons. 11 § 44. — CIC. ad Att. VI. 2. „Aditus „ad me minime provinciales; nihil per cubicularium; ante lucem in„ambulabam domi, ut olim *candidatus*." Ex quo loco apparere potest Romanos in provinciis, non eadem fuisse benevolentia in provinciales, quam Romae in Quirites, si honorem petebant.

5) Q. frat. de pet. Cons. 9 § 35.

6) In editione libri de *petitione consulatus*. Lipsiae 1837.

Magnam operam dabant candidati, ut eos secum haberent quos olim defendissent; nam hoc summam dignitatem et magnam laudem afferebat [1]), poterat inde saepe aliquid confici de ingenii dotibus, de eloquentia [2]) cett. candidati. Pariebant illae defensiones maximam gratiam et cur Romani multos defenderint, quibuscum nulla iis intercederet consuetudo, infra dicam.

Praesertim gratum accidebat oratoribus ut homines possent defendere, qui in tribu sua vel in sodalitatibus multum valebant ut ita uno labore multos suae addicerent caussae [3]). Saepe etiam si instabat oratoris petitio, causa ad eum deferebatur ea condicione ut ei suffragarentur [4]) „quorum in causis ad te deferendis, „quidnam eorum sodales tibi receperint et confirmarint „scio; nam interfui" [5]).

Dicuntur, qui candidato favent *suffragatores*, quibus opponuntur *refragatores* [6]).

---

1) Q. fr. de pet. cons. 5 § 20. 9 § 38. CIC. Phil. VII. 3 § 7.

2) Hoc non parvi momenti erat in petitione: certe si fidem habere possumus verbis CIC. in orat. p. Mur. 11 § 24. „Gravis etiam illa „est et plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe valuit in consule „deligendo, posse consilio et oratione et Senatus et eorum qui res „iudicant mentes permovere. Quaeritur consul, qui dicendo nonnun„quam comprimat tribunicios furores: qui concitatum populum flectat, „qui largitioni resistat." Haec ultima iactanter scripsit CICERO; nam nihil aliud continent quam quod ipse fecerit in consulatu contra RULLUM, CATILINAM, et in lege de ambitu ferenda.

3) Q. fr. de pet. cons. 8 § 30.

4) Ibid. 5 § 19.

5) Quae si vera sunt, ex his verbis aliud argumentum peti potest CICERONEM defendisse Q. GALLIUM a. u. c. 688. a C. 66, ut demonstrare conati sumus ubi de illius caussae dictione egimus.

Q. GALLIUS enim erat unus ex iis, quos enumerat Q. frater l. l. cuius sodales CICERONI suffragarentur in petitione consulatus.

6) CIC. p. Mur. 7 § 16. ASC. ad CIC. Orat. in Togâ Cand. p. ORELL. 83.

Qui suffragium suum fert pro aliquo dicitur [1]) *eum facere.* Ex locis GELLII [2]) et CICERONIS [3]) potest intelligi Romanos antiquitus non semper amicis favisse: nempe: C. FABRICIUS *fecit consulem* P. CORNELIUM strenuum bellatorem sed avarum hominem et FABRICII inimicum. In ea petitione C. FABRICIUS summa ope CORNELIO suffragatus est. Quod quum hic intellexisset FABRICIUM adiit et gratias ei egit quod illius opera consulatum nactus esset. Cui sic FABRICIUS: „Nihil est quod „gratias agas, si malui compilari quam venire [4]).“

Omnes illos de quibus egi amicis communi nomine Romani appellant *Fautores*, *Favitores* ut PLAUTUS [5]):

„Virtute ambire oportet non favitoribus,
„Sat habet favitorum semper, qui recte facit.“

In honesta petitione iam aliquantulum accedebant Romani ad crimen sodaliciorum; dixi aliquantulum, quod apparet ex his verbis Q. fratris [6]) „fac ut plane iis om„nibus, quos devinctos tenes, descriptum ac dispositum „suum cuique munus sit.“

§ 2.

De populari voluntate sibi in petitione concilianda.

Quae hac § tractabo multum differunt ab iis, quae modo missa feci; nam illic de amicitiis deque studiis iam paratis, hic de studiis parandis agitur.

---

[1]) CIC. p. Mur. 21 § 45.
[2]) GELL. N. A. IV. 8.
[3]) CIC. d. Orat. II. 66 § 268.
[4]) Cf. QUINCT. I. O. XII. 1 § 43. (etiam ap. CIC. de Oratore.)
[5]) Prologus Amphitryonis.
[6]) Q. fr. de pet. cons. 5 § 20.

In populari ratione haec sunt adhibenda [1]):

α′ nomenclatio,

β′ blanditia,

γ′ assiduitas,

δ′ benignitas [2]).

α′ Nomenclatio.

Non opus esse puto multa de nomenclatione disputari si locum HORATII laudavero [3]), qui optime nomenclatorem describit his verbis:

„mercemur, qui dictet nomina, laevum
„qui fodiat latus.....
„....hic multum in Fabia valet, ille Velina;
„cuilibet is fasces dabit, eripietque curule
„cui volet importunus ebur."

Hoc quam maxime erat agendum in petitione ut in unaquaque, certe in pluribus tribubus, candidati haberent fautores potentes [4]); igitur cognoscendae erant rationes multorum hominum, quorum nomina saepe ne tenebant quidem memoria. Adhibebant ut huic rei occurrerent servum qui nomina permultorum nosset [5]) et qui, quid quisque in Rep. valeret probe teneret.

---

[1]) Q. frat. de pet. cons. 11 § 41.

[2]) De his omnibus multos locos collegit REIN, Criminal Recht der Römer. p. 703 sq.

[3]) HOR. Ep. I. 6. vs. 49 sqq.

[4]) Romani in petitione populo tributim supplicabant; nam qui plures tribus tulerat is erat creatus. Quod vel indicatur testimonio ASC. PED. p. OR. 21 ubi agit de iudicio populi: „Quo crimine absolutus est SCAURUS quidem, „sed ita ut a tribus tribubus damnaretur, a XXXII absolveretur et in iis „pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent." REIN. Op. l. p. 703. cf. MOMMSEN de Colleg. et sodalic. Rom. p. 49.

[5]) Si servus nomen nesciret, audacter solebat domino imponere. SENECA de Benef. I. 3. Ep. 27.

In publicum prodibant isti servi post tergum domini et advenientis cuiusque nomen domino insusurrabant. — Talibus uti artibus in petitione omnino licuit; immo CATO usus est nomenclatore, qua de re lepide eum perstringit CICERO [1]); „nam quod ais, nulla re allici ho„minum mentes oportere ad magistratum mandandum „nisi dignitate: hoc tu ipse in quo summa est dignitas „non servas. — Quid? quod habes nomenclatorem? in „eo quidem fallis et decipis." Describit nunc orator lepide quid nomenclator iste CATONI auxiliaretur in petitione [2]), quibus haec addit: „haec omnia ad rationem „civitatis si dirigis recta sunt" cett. — Dicitur nomen„clator etiam monitor [3]), fartor [4]).

β' Blanditia.

Hoc genus adulandi quum apud omnes fere populos peraeque custodiatur, apud Romanos in honorum petitione maximum habebat usum et licet a Quiritibus honestum duceretur multis indignum et turpe semper visum est. Sicut CICERO obiicit CATONI de nomenclatione [5]); „in petitione haec licere: sin ea perpendere ad disciplinae praecepta velis, reperiantur pravissima" sic Q. frater de blanditia [6]): „quae si vitiosa est et

---

1) CIC. p. Mur. 36 § 77.

2) BOUCHAUD op. l. p. 388 videtur nescire CATONEM fuisse usum nomenclatore; certe dicit: „Caton d'Utique s'étudiait sans le secours „de quique ce fût à connaître les citoyens" cett. — Haec optime conveniunt in CATONEM a. u. c. 702. a C. 52, quum legem tulisset „ne quis pro candidato prensaret" (vid. infra ad eam legem) sed non valent de petitione tr. pl., quem honorem CATO adeptus erat, quum MURENA reus agebatur. — CIC. p. Mur. 38. § 81.

3) CIC. p. Mur. 36 § 77.

4) FESTUS p. 88. MÜLLERI.

5) CIC. p. Mur. l. l.

6) Q. fr. de pet. Cons. 11 § 42.

„turpis in cetera vita, tamen in petitione est necessaria."

Huius enim blanditiae hoc summum erat praeceptum ut petitoris frons et vultus et sermo ad eorum quoscunque convenerit sensum et voluptatem commutandus et accommodandus esset [1]).

Solebant Romani omnes non modo salutare obvios et nomine, quum insusurravisset servus, appellare; honestiore nomine erant nominandi, in quoscunque incidissent.

Horum ex numero pro diversa aetate erant maxime in usu *pater* et *frater*, ut est in versiculo apud Horatium [2]) quum aliquem salutaveris:

„frater, pater adde
„ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta."

Hisce nominibus accessit aliud postea multo magis usitatum nempe *dominus*. Sic Martialis iocose [3]) dicit ad amicum quendam:

„Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere,
„saepe etiam servum sic resaluto meum."

Ex quo loco apparet illius temporis homines in via aut in urbe eodem modo ac nos vocabulo *domini* se invicem salutare solitos fuisse.

Haec tamen verba ut *dominus* aliaque iam antea in usu fuisse *publicaque verba* dicta esse apparet ex his verbis Ovidii [4]):

„Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit,
„et quae praeterea publica verba iuvant."

---

[1]) Q. fr. l. l. — cf. SEYFFERT in ed. CIC. de Amic. ad 25 § 91. p. 517 seqq. (Brandenb. 1844.)

[2]) HORAT. Ep. I. 6. vs. 54 sq.

[3]) Epigr. V. 57.

[4]) OVID. Amor. III. 7 vs. 11 sq.

Et:

„Hic tibi quaeratur socii sermonis origo
„et moveant primos publica verba sonos" [1]).

Haec omnia trahuntur omni tamen iniuria a PETRAEO [2]), ex re amatoria ad petitionem honorum.

Vera esse quae dixi, demonstrant aliorum loci, *publica* verba ea esse, quibus salutem sibi invicem dabant Romani in via; v. c. MARTIALIS:

„Cum te non nossem dominum regemque vocabam" [3])

cui omnino addatur locus SENECAE [4]); „itaque sic priore „illo *verbo* tanquam *publico* usus es, et sic illum ami„cum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros „dicimus, quomodo obvios si nomen non succurrit *do„minos* salutamus."

Sed ad institutum revertor. Quid valerent blanditiae apud cives Romanos nullo exemplo melius cognosci potest, quam P. SCIPIONIS, cui blanditiarum neglectio causa repulsae fuit [5]).

„Quum enim aedilitatem curulem adolescens peteret et „manum cuiusdam rustici opere duratam more maiorum „tenacius apprehendisset [6]), ioci gratia interrogavit, „num manibus solitus esset ambulare, quod dictum a

---

1) OVID. Ars. Am. I. 144.

2) Diss. l. p. 15 sq.

3) Epigr. I. 113.

4) Epist. I. 3. p. LIPSII 389. Hunc locum idcirco attuli, quod inde apparere posset, quomodo re inversa sub imperatoribus candidatis blandirentur Senatores, antea vero candidati blandiri solerent tenuissimo cuique." Cf. LIPS. ad h. l.

5) VAL. MAX. VII. 5. § 2.

6) Solemne voc. in hac re est *prensare*, quod Graeci scriptores, qui res Romanas tractant dicunt δεξιοῦσθαι vel ut PLUTARCHUS in CATONE ποιεῖν τὰς δεξιώσεις.

„circumstantibus exceptum ad populum manavit caus-
„samque repulsae Scipioni attulit." cett.

Opus erat ut candidati unumquemque prensarent et comiter colloquerentur cum civibus cuiuscunque ordinis et si nomenclator

„cogat trans pondera dextram
„porrigere" [1]).

Aliud genus blanditiarum memorat CICERO [2]); solere candidatos, (quos vocat *nationem officiosissimam*) obviam ire unicuique ex provincia decedenti, qui honos PISONI ex Macedonia decedenti non est habitus; quod CICERO arripuit ut ei hoc satis acerbe obiiceret [3]).

Romani permulti tamen hunc modum petendi contemnebant, et notum est illud de CRASSO, quem pudebat ita petere honorem a Quiritibus, si socer SCAEVOLA, vir summae gravitatis in foro vel in comitiis aderat [4]) „itaque rogabat CRASSUS eum: „ut a se dum ineptae „rei deserviret, discederet."

γ' Assiduitas.

Haec erat, ut omnibus fere diebus, quibus fieri poterat, populo supplicarent candidati praesertim Romae; at quum rustici etiam multum valerent in suffragando,

---

1) HORAT. Ep. I. 6. vs. 51. — De hoc loco multae exstant explicationes, ex quibus certe illa falsa est, quam protulerunt tum alii, tum LAMBINUS et TORRENTIUS ad h. l. qui dicant hoc ita dici quoniam „servus admonebat candidatum ut dextram e toga, qua brachium co„hibebatur exsereret quod, dextra pondere togae gravata, sine aliquo „incommodo fieri vix poterat." — Cf. PETRAEUS, diss. I. p. 17.

2) CIC. p. Mur. 33 § 69.

3) CIC. in Pis. 23 § 55.

4) VAL. MAX. IV. 5 § 4. — Quod sic narrat MAMERTINUS: Grat. Act. Juliano c. 16 p. 167 ed. SCHWARZ: „Quaeso, inquit, MUCI, paul„lisper abcedas nec comitatu tuo honestari me putes; impedis hono„rem meum; te spectante, ineptus esse non possum."

solebant candidati iam antiquitus [1]) etiam extra urbem prensare, fora, conciliabula obire, ut rusticorum suffragia sibi compararent, quod etiam postea factum esse, constat Ciceronis exemplo, qui simulac remp. capessere inceperat, i. e. quum quaestura functus erat, Italiam peragravit, ut locos nobiliores, ubi quisque habitaret, quos quisque haberet amicos et agros cett. omnia cognosceret [2]) non, credo, ut Plutarchus ait, quod turpe esset ei, qui reip. praeesset, ignorare rationes eorum, quorum commoda in magistratu curare deberet, sed quoniam haec unica ratio erat, praesertim novo homini ut suffragatores nancisceretur [3]).

Huius assiduitatis nullum est praeceptum, dicit Q. frater et addit [4]) quam necessarium fuerit saepe eosdem appellare, quod etiam testatur Cicero [5]): „populus plerumque movetur gratia, cedit precibus, facit eos, a „quibus maxime est ambitus;" et paullo post: „nostrum „est honores, si magni non putemus, non servire „populo: sin eos expetamus, non defatigari supplicando."

Quibus locis addendum puto illud dictum Ciceronis [6]) ut constet quam impudenter caussae suae servire solerent Romani: „primum ista *nostra assiduitas*, Servi, „nescis quantum interdum afferat hominibus *fastidii*, *quantum satietatis*.

Maioris momenti, quam haec omnia est:

---

[1]) Vide ad legem Poeteliam.
[2]) Plut. Cic. 7.
[3]) Solebant municipia et vicinitates plerumque municipibus suis suffragari. — Vide v. c. Cic. p. Planc. 8 § 19 sqq.
[4]) Q. frat. de pet. cons. 11 § 43.
[5]) Cic. p. Planc. 4 § 9 sq.
[6]) Cic. p. Mur. 9 § 21.

δ' Benignitas.

Quae, quum multis in rebus versatur, tum praesertim in ludis et in convivio; his enim quam maxime delectabantur Quirites, quod postea magis etiam invaluisse testis est IUVENALIS [1]), quum dicit: „qui olim imperium dabat, „nil amplius desiderare quam: *panem et Circenses.*"

Quid ludi et convivia possent apud Romanos duobus exemplis ex historia indicabo.

M. SCAURUS munus splendidissimum dederat in aedilitate: (eo tempore solebant Romani spectacula, gladiatores cett. dare ut populo se commendarent) de quo permulta exstant testimonia [2]). Honores populus ad eum postea deferebat hanc praesertim ob causam; quum reus esset repetundarum, quamvis sontissimus, aedilitatis summa magnificentia absolutionis et populi studii caussa fuit; imo magna pars defensionis CICERONIS posita erat in aedilitate SCAURI et ludorum opulentia [3]).

Difficile dictu est quantas impensas [4]) fecerint Romani in illos ludos [5]); neque hoc agimus ut de ludis accurate nunc exponendum sit; satis est indicasse quid valuerint in ambitione.

Ludi M. SCAURO profuere ob munificentiam. Aliter vero factum est in Q. TUBERONE, cui, quod ad maiorum instituta se nimium conformasset praetura denegata

---

[1]) IUVEN. Sat. X. 80 seq.

[2]) CIC. de Off. II. 16 § 57, ad quem locum interpr. inspiciendus est BEIERUS. — PLIN. H. N. XXXVI. 15 et saepius. — VAL. MAX. II. 4. § 6, 7. — ASC. PED. p. 18 et 27.

[3]) Schol. Bob. (pro Sest.) p. OR. 304.

[4]) De ludorum sumptibus, cf. LIPSIUS de Magnit. Rom. p. m. 726, 727.

[5]) ASC. PED. p. ORELL. 18. — BEIER ad CIC. de Off. II. 16 § 57 de munere POMPEII.

est [1]). „TUBERO enim, quum epulum Q. MAXIMUS, AFRI-„CANI patrui sui nomine, populo Rom. daret rogatus „est a MAXIMO ut triclinium sterneret; atque ille homo „eruditissimus et Stoicus stravit pelliculis haedinis lec-„tulos Punicanos, et exposuit vasa Samia; quasi vero „DIOGENES CYNICUS erat mortuus: — his haedinis pel-„liculis praetura deiectus est." Nempe, si CICERONI credis, populus Rom. odit privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.

Ex alio classico loco CICERONIS [2]) apparet, quid MURENAE profuerint ludi [3]); ipsumque CICERONEM in petitione commotum fuisse [4]) ob ludos magnificos ANTONII [5]).

Postea tamen lege Tullia cautum est et de spectaculis tributim non dandis, deque populo vulgo ad prandia non vocando, deque gladiatoribus non dandis biennio, quo quis petat, cett. quae igitur tunc ad ambitum pertinere coeperunt [6]).

Benignitas tamen et alia continebat [7]), quae copiose Q. frater enumerat, quaeqûe praesertim posita erant in pollicitationibus candidati, se aliquid facturum, se pro reo causam dicturum cett. [8]).

---

1) Cic. p. Mur. 36 § 75 sq.

2) Cic. p. Mur. 18 § 37—40. cf. ibid. 34 § 72, 35 § 73.

3) Multa de hac materie scripsit CICERO de Off. II. c. 15—18.

4) Cic. p. Mur. 19 § 40.

5) Dicitur hoc: *scenam habere competitricem.* CIC. p. Mur. 19 § 40. nempe si competitores studia populi sibi conciliant splendidis ludis.

6) Vide ad legem Tulliam.

7) Fallitur tamen BOUCHAUD putans (p. 392) benignitatem etiam continere largitiones cett. quod demonstrat scil. exemplo CAESARIS congiarium dantis iis, qui aere alieno obruti ad eum veniebant in Galliam. SUET. Caes 27.

8) Q. frater de pet. Cons. § 44—50.

CAPUT II.

DE AMBITU [1]).

Si quis in animum induxisset omnes artes et modos illicitos enumerare et explicare, quibus Romani usi sint ut ad summos pervenirent honores, rem inchoaret ingentis laboris, cuius finem vix inveniret. Qui qualemcunque de ambitu scribere studet disputationem historicam sat agit si, quibus hominibus usi fuerint candidati in crimine ambitus breviter exposuerit; multa enim quae porro huc faciunt, legibus contra hoc crimen latis, explicanda vel indicanda videntur [2]). Dicam igitur de hominibus in populo corrumpendo adhibitis.

Sunt hi praesertim:

1. *Divisores*, quibuscum nonnumquam confunduntur diribitores.
2. *Interpretes.*
3. *Sequestres.*

§ 1.

De divisoribus [3]).

Confunduntur divisores saepe cum diribitoribus [4]), qui tamen toto coelo ab illis distant.

Diribitores enim sunt qui, quum suffragia tulerit po-

[1]) Ambitus Graece dicitur *σπουδαρχία*. DIO passim, aliique. Apud Graecos ipsos usitatior est *δημοκοπία* quod etiam in re Romana usurpat PLUT. de capienda ex inimic. utilit. c. 9. In Glossis nom. dicitur ἄμβητος. Ed. LABBAEI p. 8.

[2]) Sic de coitione dixi ad edictum C. MAENII vid. p. 35. De sodaliciis ad legem Liciniam disputavi.

[3]) Vide de divisoribus etiam ad legem Corneliam et Tulliam.

[4]) ERNESTI Clavis Cic. voc. *divisores*.

pulus, vel iudices, tabellas secernunt (dépouillement) ut, quid sententiis iussum sit, innotescat [1]).

Divisores contra erant, (si de ambitu sermo est) ii, qui pecuniam pronuntiatam a candidatis, tribubus singulis dividebant, vel etiam qui certa pecuniae summa totum *redimerent* corrumpendi negotium, ita ut eorum *societates* commemorentur [2]).

Quid fecerint et ubi exercuerint munus indicatur a CICERONE his verbis [3]) „ut ego nuper NUMMIUM *divi-* „*sorem* ut NEOPTOLEMUS ad Troiam, sic illum in Campo „Martio nomen invenisse" i.e. ut filius ACHILLIS Νεοπτόλεμος dictus esset, quod adolescens ad bellum fuisset profectus, sic CICERO hominem quemdam, qui in campo *nummos* dividebat, NUMMIUM dixit.

Erant divisores genus hominum abiectum et contemptum [4]) et, quod infra indicabimus pluribus [5]), nunc monendum iam est, postea eos tantum valuisse in largitionibus, ut legibus contra illos poenae sancirentur.

Erant tamen etiam divisores legitimi [6]), qui quod populo donum obvenisset ei dividerent [7]) quique v. c.

---

1) Multis et accurate de divisoribus egit WUNDERUS in praef. praemissa *Variis lectionibus* aliquot librorum CICERONIS a pag. CXXVI—CLVIII. Lips. 1827. Cf. MADVIG de ASCONIO p. 134. nota.

2) CIC. Verr. I. 8 § 23. — REIN. op. l. p. 704. n. (*) 714, 715. n. (*).

3) CIC. de Orat. II. 63 § 257.

4) CIC. Verr. II. III. 69 § 161, Verrem dicit in furis et divisoris disciplina educatum. Cf. CIC. Verr. I. 8 § 23. 9 § 25. GRUCHIUS de Comitiis I. 3. SUET. Octav. 3 ibique interpretes.

5) Ad legem Calpurniam et Tulliam.

6) Illis potissimum ad populum corrumpendum usos fuisse candidatos, contendo.

7) APP. B. C. III. 23. ASCON. PED. ad Mil. p. OR. 36. Plura vide apud REIN. p. 705.

debebant dividere in singulis tribubus tria millia HS, quae is deberet, qui ex lege Aufidia ambitus fuisset damnatus [1]).

Dubitat tamen PS. ASCONIUS [2]) fuerintne divisores legitimi, quos comparat cum magistris curiarum apud PLAUTUM [3]):

„nam noster, nostrae qui est magister curiae,
„dividere argenti nummos dicit in viros."

§ 2.

De interpretibus.

„Interpretes sunt per quos inducitur pactio [4]). Horum hominum nulla fit mentio nisi in iudiciis corrumpendis, dicit REIN, sed fieri potest ut etiam operam posuerint in suffragiis civium emendis [5]).

Quod etiam credo, nam eorum saepe mentio fit coniunctim cum divisoribus et sequestribus: sic v. c. apud PS. ASCONIUM l. l. Et si CICERO in causa VERRIS [6]) omnes illos adhibitos dicit ad paucos iudices corrumpendos, etiam interpretibus certe usi sunt Romani in toto populo corrumpendo.

Fortasse interpretes ii sunt per quos pecuniam per centurias pronuntiarent candidati, ut in CAESARE et LUCCEIO factum est [7]).

---

1) Vide infra ad hanc legem Aufidiam.
2) Ps. ASCON. ad CIC. Verr. I. 8 § 22. p. ORELL. 136.
3) PLAUT. Aul. I. sc. 3. vs. 29 sq.
4) Ps. ASC. ad CIC. Verr. I. 12 § 36. p. ORELL. 145.
5) REIN. op. l. p. 704 n. (*).
6) CIC. Verr. I. 12 § 36.
7) SUET. Caes. 19.

Omnes, qui de ambitu egerunt, etiam interpretes attigerunt, nemo tamen adhuc perspicuum fecit, quid tandem fecerint in suffragiis civium corrumpendis [1]).

§ 2.

De sequestribus.

„Sequestres" dicit PS. ASCONIUS [2]) „sunt apud quos „pecunia deponitur;" quod accipiendum est ea significatione si de ambitu sermo est.

In iure civili [3]) sequester dicitur „apud quem plures „eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt; „dictus ab eo, quod occurrenti aut quasi sequenti eos, „qui contendunt, committitur [4])."

Dissentiunt, sicut fieri solet in Etymologia Romanorum, homines de huius vocabuli derivatione.

MODESTINUS derivat a *sequendo*, quod etiam apud GELLIUM legitur [5]). Alii contra a *secus* derivandum putant [6]) vel a *sequo* i. e. *dico* [7]). Quarum nulla vera esse videtur. Locus PLAUTI [8]):

„tu istinc hodie non feres nisi das sequestrem aut arbitrum,
„cuius haec res arbitratu fiat;"

---

[1]) Non absurda eorum videtur opinio, qui statuant candidatos solere per interpretes agere de suffragiis emendis, pecuniam apud sequestres deponentes quae a divisoribus dividatur.

[2]) Ad CIC. Verr. I. 12 § 36.

[3]) L. 110. ff. de Verb. sign.

[4]) DIRKSEN, Manuale Lat. Font. Iur. Civ. p. 879 sq. sic dicit: sequester is, cui custodia rei de qua disceptatur inter aliquos, commissa est.

[5]) GELL. N. A. XX. 11.

[6]) H. VALESIUS ap. MENAGIUM Amoenit. Iur. Civ. p. 375. Lutet. Paris. 1677.

[7]) Ibid p. 374.

[8]) PLAUT. Rud. IV. 3.

me impulit, ut pedibus irem in sententiam MENAGII [1]), qui hoc voc. ex Graeco fonte derivat nempe a *δικαστής* quod Laconice *σικαστήρ*. [2]).

Cuius opinionis nullum tamen protulit argumentum. Paucis igitur dicam quid mihi de ea re statuendum esse videatur.

Ex loco PLAUTI l. perspicuum est quid fuerit munus sequestris. Ea formula: das *sequestrem* aut *arbitrum* postea ita mutata est ut ad praetorem haec dicerent Quirites: „Praetor *iudicem arbitrumve* postulo uti des"; unde apparet iudicem et sequestrem in iis locis plane idem significare et per temporis spatium [3]) haec solum esse mutata. Ut etiam apud CICERONEM legatur iocose ex illa ipsa formula petitum: Ictos Romanos nescire utrum dicendum esset *iudicem* an *arbitrum* [4]).

Haec igitur egregie faciunt pro mea opinione, quibus addendum est, frustra aliquem ex analogia Latini sermonis inquisiturum de substantivis, quae in: — *ster* desinunt. Illi sequestres pecuniam igitur postquam comitia habita esset solvebant sive ipsi id fecerint sive per divisores hoc locum habuerit.

Iure posses CATONEM dicere sequestrem, quum apud eum tribunatum petituri iurati pecuniam deposuerant ut qui ab eo ambitus esset damnatus eam perderet [5]).

---

[1]) L. l. p. 375.

[2]) Cf. G. DE MAN diss. de Or. pr. Planc. Trai. a. Rhen. 1809. p. 35 sq. n. 23.

[3]) Fortasse voc. *sequester* postea locum cedit voc. *iudex*, quoniam in contemtu erant sequestres ita ut Q. PACUVIUS hoc. voc. receperit in librum, qui inscriptus erat: *de verbis sordidis*. GELL. N. A. XX. 11. cf. Scipio Gentilis voc. *sequester*. T. II. p. 440. Neap. 1763.

[4]) Cic. Mur. 12 § 27.

[5]) Vide infra.

Opus esse sequestribus in perdita civitate Romana vel inde apparet, quod narratur de iudice quodam, qui pecuniam acceperat ob rem iudicandam, quique cum a reo pecuniam ob salutem acceperat eum damnavit, quod scilicet accusator maiorem pollicitus esset summam [1]).

Hisce praemissis ambitum ipsum melius intelligere poterimus ex legibus contra illud facinus latis.

---

1) Cic. in Verr. II. u. 32 § 78.

SECTIO II.

DE LEGIBUS AMBITUS REIPUBLICAE TEMPORE.

CAPUT I.

AB ANNO U. C. 322 USQUE AD TEMPORA SULLANA.

§ 1.

Lex lata a trib. mil. consulari potestate.

A. U. C. 322. A. C. 432.

Quando primum ambitus in civitatem gliscere coeperit nescitur, sed possumus iure quodam contendere illud flagitium quo tempore leges XII tabb. conditae sint Romanis nondum innotuisse. Certe huius rei nullum in fragmentis legum XII tabb., neque in historia illius temporis invenitur exemplum. Locus enim CICERONIS [1]: „donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve „gerenda, neve gesta potestate" non intelligendus videtur de illis temporibus [2]. Sed multo minus concedendum arbitror quod BOUCHAUD dicit, CICERONEM ea verba petiisse ex lege suae aetatis. Quodsi is tenuisset, quod fuerit CICERONIS consilium in libris de legibus

[1]) CIC. de Legg. III. 4.
[2]) BOUCHAUD op. l. p. 401.

conscribendis, vel si in memoriam revocasset, quid sancitum esset contra ambitum ab ipso CICERONE et postea a Pompeio (eo fere tempore libri de legibus scripti sunt) non dixisset, - credo, vocabula: „*noxiae poena* „*par esto*, ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, „avaritia mulcta, *honoris cupiditas ignominia sanciatur*" [1]) esse ex lege CICERONIS aetatis petita quum iam Polybii aetate *θάνατος* [2]) ἦν περὶ τούτου πρόστιμον [3]).

Antiquissimis temporibus in ea, qua tunc vivebant simplicitate, ambitum nullum noverunt Romani. Nec mirum, quum is, qui virtute, fortitudine eminebat, moresque servabat maiorum demum dignus videbatur cui summa Resp. committerėtur. Crescente Romanorum potestate, acriore studio honores petebantur conatibus pro ea temporum ratione parum honestis, quippe ostentatione, amicitia simulata, comitate ficta, viam ad sellam illam curulem sibi parare studerent.

Ex eo tempore natae sunt omnes illae blanditiae, de quibus supra egimus [4]). Contra id genus ambitus, quod rectius appellares ambitionem [5]), lata est ea lex: a. u. c. 322. a. C. 432. „ne cui album in vestimentum addere „liceret petitionis caussa" quae lex a tribunis militum consulari potestate promulgata, perlata est; scribit enim LIVIUS: „parva nunc res et vix serio agenda videri „possit, quae tunc ingenti certamine Patres et plebem

---

1) CIC. de Legg. III. 20.

2) BOUCHAUD, nescit quid haec significent; cogitat enim, si musis placet, de supplicio summo sumendo. p. 414. Cf. DUIRCANT diss. l. p. 15 sq. et infra.

3) POLYB. VI. 56.

4) Vid. p. 10 sqq.

5) Sic etiam LIVIUS IV. 25.

„accendit. Vicere tamen tribuni ut legem perfer-„rent [1])" cett.

Consentiunt omnes, quoad sciam, hac lege fuisse cautum ne, qui honorem ambirent, toga uterentur candida. Sed antequam de sententia legis disputetur necesse est ut constet de vocabulis ipsis, quae in codicibus satis variant [2]).

Scriptum fuit in multis libris: „ne cui album vesti-„mentum addere liceret" cett. Quod quum sensu „careret, LIPSIUS [3]) scribendum censuit: „ne cui album „*in* vestimentum addere liceret" repetito vocabulo *in* ex littera *m* praecedentis vocabuli.

Alii [4]) legerunt *investimentum*, uno vocabulo, quae lectio iure reiecta est.

Sed neque scriptura LIPSII vera videtur, nam quid est hoc: „album addere in vestimentum"?

GRONOVIUS locum unum alterumque indicavit [5]) ubi legeretur *addere in aliquid;* ex quibus unus tantum ad rem nostram facere videtur nempe: „Lege CORNELIA „cavetur [6]) ut qui in aurum vitii quid adderet, qui-„que argenteos nummos adulterinos flaverit, falsi cri-„mine teneretur." Sed longe aliud est *addere in vestimentum*, quam „*vitii quid addere in aurum.*"

Contendo, donec exemplis demonstretur, Latinum non esse: *album addere in vestimentum;* idcirco, ut sensus

---

[1]) LIVIUS l. l.

[2]) Vide, quae de varia lectione huius loci collegit DRAKENBORCHIUS in sua ed. LIVII.

[3]) LIPS. El. I. 13. Antiq. Lect. IV. 15.

[4]) v. c. SIGON. de Iudiciis II. 30. Cf. GRUCHIUS de Comit. I. 3.

[5]) Ad LIV. IV. 25.

[6]) L. 9. ff. ad l. Corneliam de falsis.

evadat bonus ex verbis Livii, legendum esse coniicio: „*ne* „*cui album vestimentum induere liceret petitionis causa*" [1]).

Falsa videtur opinio REINII [2]) candidatos ab antiquissimis temporibus usos fuisse toga candida; certe ex locis pro hac opinione allatis nihil efficitur nempe: ἠξίου τήβεννον αὐτῷ λαμπρὰν εὐθέως ἑτοιμάσαι· τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τοῖς τὰς ἀρχὰς μεταπορευομένοις [3]).

Haec scripsit Polybius de petitione Publii et Lucii Scipionum a. u. C. 540. De moris antiquitate nihil probant; — et:

καὶ γὰρ ἔθος ἦν τοῖς μετιοῦσι τὴν ἀρχὴν παρακαλεῖν καὶ δεξιοῦσθαι τοὺς πολίτας ἐν ἱματίῳ κατιόντας εἰς τὴν ἀγορὰν ἄνευ χιτῶνος [4]).

Nec hoc videtur pro illa sententia de candida toga facere, quod ἄνευ χιτῶνος populum prensarent [5]).

Neque vera est quae profertur opinio a Viro Cons. BEELDSNYDER MATROOS [6]) hac lege togae candidae usum fuisse prohibitum ea de causa: „ne pecuniis in sinu re„conditis tribuum mercarentur suffragia", quod vitium certe non cadit in haec tempora, neque in pauperes Romanos. Lex illa non observata est, quod in multis Romanorum legibus cernimus [7]). Sic v. c. ANTIUS RESTIO legem tulit sumptuariam [8]), quam legem, quamvis

---

1) [*Aliquid addere in aliquid* hanc significandi potestatem habet ut quantitas, (massa) semper fiat maior.]

2) REIN. op. l. p. 706.

3) POLYB. X. 4.

4) PLUT. Coriol. 14.

5) Nec aliquid probat PLUT. Quaest. Rom. 49. nec LIV. XLI. 21. de a. u. c. 578. neque PLIN. H. N. VII. 34.

6) In diss. l. p. 15.

7) Cf. ERNESTI, Opusc. Phil. p. 51.

8) MACR. Sat. II. 13.

„esset optima, tamen obstinatio luxuriae et vitiorum „firma concordia nullo abrogante irritam fecit."

Addit MACROBIUS l. l. quid RESTIO quum intellexisset legem suam non observari constanter fecerit; eum nempe quoad vixit foris postea non coenasse, ne testis fieret contemptae legis, quam ipse bono publico pertulisset.

Hanc legem idcirco adduxi, quod aliqua in re coniuncta fuisse videtur cum magistratuum petitione; si quidem apud GELLIUM legimus [1]): „lex deinde Antia praeter „sumptum aeris, id etiam sanxit, ut qui esset magi„stratus, magistratumve capturus esset, ne quo ad coe„nam nisi ad certas personas iret [2]).

§ 2.

Lex Poetelia.

A. U. C. 396. A. C. 358.

Legis Poeteliae semel mentio fit [3]), his verbis: „et de „ambitu ab C. POETELIO tr. pl. auctoribus Patribus tum „primum ad populum latum est: eaque rogatione no„vorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas [4]) „et conciliabula obire soliti erant compressam credebant."

---

1) GELL. N. A. II. 24.

2) Pertineatne haec lex ad ambitum nescio; sed illud observandum est hac lege vetitum fuisse iis, qui magistratum peterent, *ne quo coenatum irent*, quum Lex Tullia de ambitu impediret quominus candidati prandium tributim darent. Lex Antia fere tempore CICERONIS lata esse videtur; quod inde conficio, quod intra legem Aemiliam et Iuliam (AUGUSTI) lata sit. Vide GELLIUM et MACR. ll. ll. et ORELL. Ind. Leg. p. 277.

3) LIV. VII. 15.

4) BOUCHAUD op. l. p. 391. n. *a*, qui plura de his habet. Quid sint *conciliabula* cett. vid. LIV. XL. 37. interpr. et XL. 19 interpr.

Observandum est discrimen inter hanc legem et superiorem a. u. C. 322. a. C. 432, quippe quod lex Poetelia contra ambitum, altera contra ambitionem fuerit lata.

Hanc legem sic intelligo: Quum constet in creandis magistratibus saepissime eventum in eorum esse suffragiis positum, qui has res se nihil curare dicant vel simulent, cumque horum numerus in foris, conciliabulis certe longe maior esset quam in ipsa urbe Roma, ubi omnes ad suffragia ferenda conveniebant vel certe convenire debebant, duplicem huius legis rationem fuisse arbitror:

1. Ut largitio, vel alius quicunque modus ambiendi impediretur.
2. Ut cives Romani qui in urbe erant vel prope urbem, in magistratibus creandis plus valerent.

Ex verbis legis: „ad novorum hominum ambitionem „comprimendam" etiam potest argumentum peti legem ea de caussa fuisse latam ut Romae incolis mos gereretur, quippe quod novi homines, qui male audiebant apud Romanos, quique fora obibant, multo saepius ex ipsis foris, conciliabulis, essent oriundi quam ex urbe Roma [1]).

---

[1]) CICERO, MARIUS. } Arpinates.

M. CATO CENSORIUS, ortu Tusculanus. Cf. WUNDERUS ad Planc. p. 87.

TI. CORUNCANIUS, primus e plebe Pontifex Maximus Camerio ortus est.

L. MURENA, Lanuvinus. Cic. p. Mur. 40 § 86. 41 § 90.

AUGUSTUS, homo novus, (eius pater certe consul non fuit) erat municipio Aricia oriundus.

POMPEII, oriundi sunt Pompeiis, oppido Campaniae. Vid. I. DORN SEIFFEN de SEXTO POMPEIO. Tr. a. Rh. p. 30. 1846.

CN. PLANCIUS Atinas, homo novus. Cic. p. Planc. 8 § 19. 13 § 32. Cf. BRUCKNER, das Leben des M. T. CICERO. p. 480.

Homines novi in quaestione de ambitus historia non sunt negligendi; faciunt enim utramque paginam, quare operae pretium videtur paullo copiosius h. l. de iis disputare [1]).

Sunt homines novi quorum parentes, atque maiores nullis in Rep. functi sunt honoribus, quique primi ex sua familia honores maiores sunt adepti, ut scribit APPIANUS [2]): οἱ ἀφ' ἑαυτῶν ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνώριμοι [3]). *Homo novus* opponitur igitur *nobili* v. c. „plus tibi *vir-* „*tus* tua dedit, quam fortuna abstulit, propterea quod „adeptus es, quod non multi *homines novi*, amisisti quae „plurimi *homines nobilissimi*" [4]). *Plebeius* vero non opponitur *nobili*, sed *patricio*. Nobilissimi saepe homines dicuntur, qui plebeii erant; ex gentibus plebeiis multae erant nobilissimae, (de qua re accuratissime scriptum est a summo P. MANUTIO [5]); v. c. gens Cornelia. CAESAR tres gentes nobilissimas Octaviam, Calpurniam, et Tulliam patricias fecit; erant igitur antea plebeiae sed nobiles [6]).

Magnum igitur potest intercedere discrimen inter no-

---

[1]) Cf. de hominibus novis Q. frater de pet. cons. § 2—13. MIDDLETON Life of CICERO I. p. 136. nota.

[2]) APP. B. C. II. p. 428.

[3]) BOUCHAUD, p. 402. dicit homines novos eo tempore esse eos plebeios, qui functi essent consulatu vel tribunatu militum, magistratu equitum, aedilitate curuli et qui fuissent ex *XV viris sacris faciundis*. Praetervidit tamen, XV viri sacris faciundis quod essent ex quatuor collegiis sacerdotum amplissimis, quodque LX fere post annos sancitum sit lege Ogulnia ut plebeii sacerdotia capere possent „quorum „(plebeiorum) honoribus nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erant, deesset." LIV. X. 6. cf. 9. FISCHER. ad a. u. c. 454. a. C. 300.

[4]) CIC. ad Famil. V. 18.

[5]) In comment. ad CIC. Ep. ad Fam. I. 7. p. m. 91.

[6]) Q. POMPEIUS homo erat novus, CIC. p. Mur. 7 § 16. VELL. PAT. II. 1. NIEBÜHR Vorträge III. p. 26. I. p. 423. ed. a. 1827.

bilem et Senatorem. Ut uno defungar exemplo: MARIUS tum demum nobilis factus est, ut etiam CICERO, quum fasces sellamque curulem in familiam suam introduxerant, iusque imaginum quum sunt adepti [1]). At quaestores creati iam iure suo veniebant in Senatum et in perpetuum (CICERONIS certe aetate) Senatores manebant nisi a Censoribus fuissent Senatu moti. MARIUS [2]) irrupit in Senatum sed nobilis nondum erat; erat enim quaestor creatus. Sic Aemilia gens si qua alia erat patricia: „SCAURUS vero ita erat patricius, ut tribus supra „eum aetatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque „pater neque avus, neque etiam proavus — *honores adepti sunt.* Itaque SCAURO aeque ac novo homini la„borandum fuit" [3]). Ex hoc loco optime apparet quam multum differant *patricius* et *nobilis*, quod multi pro uno eodemque habent [4]).

Quod ad legem Poeteliam nostram attinet erat ea lata contra hominum novorum ambitionem i. e. contra omnes plebeios; nam tunc temporis omnes homines novi erant plebeii si paucos excipias, qui ab a. u. c. 388, quo primus creatus e plebe est consul, ad a. u. c. 396, quo lex nostra incidit, consulatu functi sunt.

Cur legem tulerint Romani contra novorum hominum ambitionem ex nullo testimonio melius cognosci potest,

---

1) MURENA homo novus. CIC. p. Mur. 8. § 17. quumque pater et avus praetores fuerant.

CICERO ius imaginum se adeptum esse dicit in initio Rullianae II. quum gratias Quiritibus agebat quod se consulem creassent. Cf. tamen CIC. Verr. II. v. 14.

2) VAL. MAX. VI. 9. § 14.

3) ASC. PED. p. OR. 22.

4) ASC. PED. p. OR. 27. Multis de Aemilia gente patricia sed ignobili egit ELLENDT ad CIC. d. Or. II. 64 § 257.

quam SALLUSTII, qui de consulatu CICERONI mandando sic scribit: „ea res (coniurationis Catilinariae iudicium) „imprimis studia hominum accendit ad consulatum man„dandum M. TULLIO CICERONI. Namque antea pleraque „nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum „credebant, si eum quamvis egregius homo novus „adeptus foret" [1]). Cum quo loco utiliter comparari potest audax CATILINAE dictum in Senatu postquam Cicero primam illam in eum dixerat Catilinariam. Nam CICERONIS tempore illud idem obtinebat quod MARII aetate „consulatum nobilitas inter se per manus „tradebat [2])."

Raro igitur accidebat ut homines novi ad summum pervenirent honorem „neque enim tunc novus tam cla„rus neque tam egregius factus erat, quin indignus „illo honore haberetur [3]), quod etiam satis inde apparet, quod CICERO uno alteroque loco gloriatur se post longum intervallum primum hominem novum, consulatum esse adeptum, quum insuper qui ex hominum novorum numero sine repulsa essent facti, aliquanto serius, quam per aetatem et leges liceret, multisque annis postquam praetores fuissent, petissent — idque diuturno labore, atque aliqua occasione [4]), quod nullo exemplo luculentius illustrari posse arbitror, quam C. MARII, qui postea septies consul fuit. Is enim ut tradit VALERIUS MAXIMUS [5]) patientia repulsarum magis in curiam, irru-

---

[1]) SALL. Bell. Cat. 23. [Quod si haec valeant de SALLUSTII aetate tanto magis de antiquioribus temporibus.]

[2]) SALL. Bell. Iug. 63.

[3]) SALL. l. l.

[4]) CIC. p. Mur. 8 § 17. in Rullum II. 2.

[5]) VAL. MAX. VI. 9 § 14.

pit quam venit (nempe in quaesturae petitione) isque postea in tribunatus, aedilitatisque petitione idem expertus est inque praetura petenda supremo loco inhaesit i. e. ultimo loco creatus est.

Ut CICERO consul factus est metu ne CATILINA victor remp. pessumdaret, sic MARIUS etiam *aliqua occasione*, nempe nobilitate fusa per legem Mamiliam [1]), creatus est. Dandum est igitur pro magna parte temporibus, quod CICERO sibi suaeque virtuti adscribit [2]): illud esse amplissimum quod honore eo (consulatûs) se ex novis hominibus primum multis post annis ornarint Quirites quod prima petitione, quod anno suo; et quae deinceps sequuntur in eo loco; nec fidem habendam puto iis, quae nimis gloriose praedicat „se refregisse claustra „nobilitatis" [3]), nam ipsius successori L. MURENAE novitas obiiciebatur.

Quod scribit de maioribus consulatum non nobilitati sed virtuti mandantibus id egregie pugnat cum hac nostra lege, pugnatque magis etiam cum C. FLAVII exemplo, aedilitatem petentis, quum scriptum faciebat; nisi forte *virtutem* dicas id facere, quod placeat iis, qui gratia et auctoritate valent.

CN. FLAVII historia legitur apud multos; venuste nonnulla de eo narrat GELLIUS ex PISONE [4]); sed nemo lepidius potuit de eo scribere quam TULLIUS ipse in oratione pro MURENA [5]).

Sitne persona CN. FLAVII ficta, quod v. c. ATTICO [6])

1) SALL. Bell. Iug. c. 65.
2) CIC. in Rull. II. § 4.
3) CIC. pr. Mur. 8 § 17.
4) GELL. N. A. VI. 9. LIV. IX. 46. interpr.
5) CIC. p. Mur. 11.
6) CIC. Ep. ad Att. VI. 1. § 8 18.

et fortasse ipsi CICERONI persuasum erat, necne, non est huius loci quaerere [1]). Non dubitavi tamen illud exemplum idcirco afferre, ut CICERONIS nimiam sui fiduciam indicarem.

§ 3.

Edictum Dictatoris C. Maenii.

A. U. C. 440. A. C. 314.

Hoc edicto C. MAENIUS edixit, „coitiones honorum adpiscendorum caussa esse factas contra Rempublicam [2]). Incidunt haec in id tempus quum pari ferme fortuna atque Marte, Romani cum Samnitibus bella gerebant. Anno superiore nempe u. c. 439, quae acciderint Romanis infesta narrat DIODORUS SICULUS [3]): Σαμνῖται — Πλειστικὴν μὲν φρουρὰν ἔχουσαν Ῥωμαϊκὴν ἐξεπολιόρκησαν, Σωρανοὺς δὲ ἔπεισαν κατασφάξαι τοὺς παρ' αὐτοῖς Ῥωμαίους κτέ. Inde factum ut eodem anno nempe a. u. c. 440 omnia Romanis infida essent, Capuaeque quum occultae principum coniurationes fierent [4]) decretae sunt a Senatu quaestiones, dictatoremque quaestionibus exercendis dici placuit. — Ex Campania res Romam versa est. Multorum receptis nobilium nominibus, quum quaerebatur *de coitionibus honorum adipiscendorum caussa factis* illi hominum novorum nomina recipienda dixerunt, inprimisque ipsius Dictatoris Magistrique Equitum, qui magistratu statim abierunt; apud consules rei facti absoluti sunt. Fuerunt et Dic-

---

[1]) NIEBÜHR, Röm. Geschichte III. p. 367—374. ed. a. 1832.
[2]) LIV. IX. 26.
[3]) DIOD. SIC. XIX. 72.
[4]) LIV. l. l.

tator et Magister Equitum, ut videtur, *homines novi*, si certe nobilium in eos odium attendas.

Coitio honorum adipiscendorum caussa, quae h. l. indicatur non est intelligenda eo sensu, quo usurpatur posterioribus Reip. temporibus. Cogitandum h. l. est de iis coitionibus, quae erant lege vetitae: „ne quis in urbe coetus nocturnos agitet [contra Rem„publicam]" vel: „qui .coitiones ullas clandestinas in „urbe conflaverit more maiorum capitali supplicio mul„ctetur."

Quam significationem MANUTIUS [1]) etiam attribuit legi Liciniae: „ne quis coiret magistratus adipiscendi causa" assentiente ERNESTIO qui sic scribit: „PLANCIUM ex lege „Licinia de sodalitiis h. e. de coitionibus ad corrum„penda populi suffragia factis."

Quod tamen verum non est, aeque minus ac illud quod ERNESTIUS scribit [2]) „est enim coitio cum homines „congregantur rei malae conficiundae veluti tribuum „corrumpendarum caussa."

Valet illud de loco Liviano supra laudato; at tempore CICERONIS *coitio* est societas candidatorum eo consilio inita ut unus alteri mutuo tribus conciliet, ut sic competitores honore deiiciant [3]).

Per longum temporis intervallum nulla de ambitu mentio fieri videtur, nisi apud PLAUTUM qui quaeritur ambitionem tunc temporis valde esse auctam [4]).

---

[1]) MANUTIUS, de Legibus Rom. c. 30.

[2]) Clavis Ciceron. voc. *coitio.*

[3]) WUNDERUS ad Plancianam. p. LXXVI sqq. ubi vide locos l.l. et eiusdem annotat. ad Plancianam 22 § 53.

[4]) PLAUT. Trinummus. IV. III. 25 sqq.

„Nam nunc mores nihili faciunt, quod licet, nisi quod lubet,
„ambitio iam more sanctast, liberast a legibus.
„scuta iacere fugereque hostis more habent licentiam,
„petere honorem pro flagitio more fit.
„strenuos nunc praeterire more fit.

Meminit etiam PLAUTUS alicuius legis contra ambitum latae [1]):

„Sirempse (ait) legem iussit esse Iuppiter,
„quasi magistratum (quis) sibi alterive ambiverit
„virtute dixit vos victores vivere,
„non ambitione neque perfidia qua minus
„eadem histrioni sit lex, quae summo viro."

De hac lege tamen nil amplius inveni; pertinueritne ad legem Poeteliam ut nonnullis videtur, (iniuria tamen [2]) hoc conficitur ex verbis Livianis: „eaque rogatione novorum hominum maxime)" nescio; sed quod aliud pro hac opinione affertur argumentum omnino falsum videtur: „fieri posse ut lex Poetelia plura continuerit „capita quoniam LIVIUS scripsit:" quod ex rogatione novorum *maxime* hominum ambitionem compresserant."

Cur maxime novorum hominum ambitionem compresserint supra dixi.

§ 4.

Lex Cornelia Baebia.

A. U. C. 573. A. C. 181.

Huius legis mentio fit apud LIVIUM [3]) his verbis:

---

[1]) PLAUT. Prolog. Amphitryonis v. 73 sqq.
[2]) VISSERING, Diss. inaug. II. p. 20. Amstelod. 1842.
[3]) LIV. XL. 19 f.

„et leges de ambitu consules ex auctoritate Senatus ad „populum tulerunt,"

apud NONIUM MARCELLUM [1]): CATO lege Baebia „pe„cuniam inlargibo tibi."

apud FESTUM [2]) *Rogat*, est: consulit populum vel pe„tit ab eo ut id sciscat, quod ferat, unde nos quoque „in consuetudine habemus pro petere et orare. CATO „in dissuasione ne lex Baebia derogaretur ait: „hoc „potius agam, quod hic rogat [3])."

Dissentiunt uti videtur viri docti de huius legis auctoribus, quum alii legem Aemiliam Baebiam, alii Corneliam Baebiam intelligant. Cuius discriminis unam tantum video causam, nimirum quod a. u. c. 572 consules fuerint L. AEMILIUS PAULLUS, CN. BAEBIUS TAMPHILUS, a. u. c. 573 vero P. CORNELIUS CETHEGUS, M. BAEBIUS TAMPHILUS, CN. BAEBII frater [4]).

Tribus locis, quos modo laudavi legis fit mentio, sed ita ut eorum praeter Livianum, ad legem explicandam vel illustrandam vix ratio sit habenda. Possumus per verborum sonum vel significationem verisimili coniectura assequi locum CATONIS apud NONIUM MARCELLUM pertinere ad legem Baebiam; fortasse eodem pertinet locus CATONIS a FESTO servatus, quae certe est opinio virorum doctorum, sed praeter tempus in quod incidit

---

1) NON. MARC. VII. p. 470. voc. *largi.*

2) FESTUS p. 282. ed. MÜLLER.

3) Cf. MEYER. fragm. orat. p. 62. ed. 1ae, qui haec orationis, CATONIS fragmenta adscribit dissuasioni ne lex Baebia derogaretur quae erat de praetoribus creandis lata. vid. p. 84 n°. 87. p. 85 n°. 88 apud eundem.

4) LIV. XL. 17 f.

Nullam huius legis mentionem facit Doct. SCHADE in programmate quod prodiit Anclamae 1850: Von den öffentlichen Gerichten der Römer zur Zeit der Republik.

et praeter Baebiae nomen nihil habet quo illa opinio se commendet. Legem fuisse latam Baebiam unicuique LIVIUM accurate legenti persuasum erit; satis superque quod dixi demonstrat c. 18. collatum cum cap. 19 l. XL.

Verisimiliter lex lata est initio fere anni, quod, quamvis certum non sit, iure aliquo ex Romanorum consuetudine deducendum puto. Sequitur enim [1]) „legationes „deinde in Senatum introduxerunt" cett. Introducebantur legationes initio anni idque mense Februario. Nam ex locis Livii ubi recensentur omnes legationes, sicuti saepius, luce clarius apparet legationibus tempus fuisse definitum omnibus, quo in Senatum introducerentur. Sic LIVIUS [2]) scribit, (post quam comitia habita fuisse renuntiatosque magistratus narravit) „ut consulatum „inierunt nominatae consulibus provinciae sunt — tum „praetoriae provinciae in sortem coniectae" — quibus addit c. 39 l. l. „tum Saguntinorum legatos (SCIPIO) in „Senatum introduxit" et interpositis Saguntinorum oratione Senatusque responso sic scribit in fine c. 39: „Legationes deinde ceterae in Senatum introductae auditaeque."

Igitur iam diu ante legem Corneliam Baebiam latam legationes initio anni in Senatum introducebantur, quod pluribus locis demonstrare necesse non est; posterioribus temporibus idem moris obtinuit [3]).

Quid cautum fuerit lege Cornelia Baebia non constat [4]). SIGONIUS in opere de iudiciis [5]) dicit, se affirmare non

---

[1]) LIV. c. 20. l. l.

[2]) LIV. XXXVIII. 39.

[3]) CIC. Verr. II. I. 35 § 90. CIC. Ep. ad Att. I. 8. § 7. CIC. ad Q. fr. II. 3. init. II. 12, III. 13. § 3. Vide alios locos apud DE MAN, Diss. inaug. de CIC. orat. pr. Planc. Tr. ad Rh. 1809. p. 25.

[4]) DUKERUS ad LIV. XL. 19.

[5]) L. II. c. 30.

posse cuius sententiae eae leges fuerint (quas Baebiam Aemiliam, ut mihi videtur perperam appellat [1]) neque LIVIUM id addidisse: fieri autem posse ut Aemilius tulerit adversus suffragationes et coitiones; legem Baebiam adversus largitores latam videri, siquidem CATO in ea oratione, qua legem Baebiam defendit, teste NONIO sic dixit: *pecuniam inlargibo tibi* et FESTUS: „CATO in dissua„sione ne lex Baebia derogaretur" hoc potius agam, quod hic rogat." Videtur igitur SIGONIUS duabus de legibus cogitasse quarum altera illi, altera huic malo obviam iret; quod qua ratione fieri possit nescio. Nam ubi mentio fit de lege quam dicit ille Aemiliam, quae scilicet contra suffragationes et coitiones fuerit lata, vel quid demonstrant loci CATONIS, legem illam Baebiam contra largitiones latam fuisse? Nisi forte putes in coitione largitioni locum esse non posse [2]).

Nullo alio fundamento nititur illa coniectura nec niti potest nisi verbis LIVIANIS: „et *leges* de ambitu consules „tulerunt". Sed ne dicam de coniectura iam dudum h. l. proposita ut mutetur *leges* in *legem*, quid probat ille pluralis? Si consules legem de ambitu ferre cupiebant cur ille de hac, hic de illa ambitûs specie legem ferret? nam coitio, aeque bene ac largitio ad ambitûs crimen pertinebat. Et quomodo SIGONIUS antiquitatis Romanae haud imperitus talia Romae unquam facta esse

---

1) Nec ORELLIUS agnoscit legem Aemiliam Baebiam de ambitu. Cf. Ind. leg. p. 131.
Permulti tamen scriptores hanc legem dicunt Aemiliam Baebiam. vide quos laudat DE MAN, op. l. p. 37.
BEAUFORT, République Romaine II. p. 72. (La Haye 1766).

2) v. c. exemplo CAESARIS et LUCCEII. CIC. ad Att. I. 17. PISONIS et GABINII. CIC. p. Redit. in Senatu 7 § 17.

demonstrabit? Ceteroquin notum est saepissime *leges* dici ubi de una tantum lege sermo est, quandoquidem unum caput legis dicitur *lex*, sic universa *lex* saepe *leges*. Hic pluralis etiam WUNDERUM in lege Licinia de sodalibus turbavit [1]).

Melius duco cum DUKERO dicere non liquere quid lege Baebia Cornelia statutum fuerit, quam indulgere istis opinionibus.

Nequaquam probare possum ORELLII et BAITERI, qui indicem legum confecerunt in Onom. Tull. III nec FISCHERI sententiam [2]) locum Scholiastae Bobiensis ad hanc legem Corneliam Baebiam [3]) referentium.

Confuderunt illi auctores leges Baebiam et Corneliam: quum animum non attenderint ad constantem scriptorum Romanorum usum.

Non solent enim Romanorum leges diverso nomine auctoris laudari a scriptoribus Graecis Latinisve. Quae CICERONIS leges dicuntur Tulliae nunquam inscriptas aliquis vidit Antonias; nec legem Liciniam de sodalitiis unquam dictam opinor Pompeiam quamvis POMPEIO II CRASSO II coss. lata sit. Sic lex in eodem consulatu ab iisdem coss. lata, iudiciaria semper et ubique est Pompeia nunquam Licinia et sic in ceteris. Quae igitur dicitur lex *Baebia* apud FESTUM et NONIUM ll. ll. non potest eadem esse, quae apud Schol. Bob. dicitur Cornelia.

Quae quum ita sint quumque in LIVIO l. l. nulla fiat mentio legis nominis, repudiandus est locus Scholiastae

---

1) Praefat. ad Plancianam. p. LXXIII. vide infra et MOMMSENIUM, qui plura huius rei exempla affert in opere: *de collegiis et sodalitiis Romanorum*. p. 43.

2) Römische Zeittafeln. Altonae 1846.

3) Schol. Bob. apud ORELL. p. 361. p. 2ae Vol. V.

Bob. ex eorum numero, qui ad legem Corneliam Baebiam pertineant. Cuius rei, ne temere haec dixisse videar, et alterum, idque fortasse etiam gravius argumentum afferam. Quo disputatio mea melius procedat, describam locum ex Schol. Bob. ad c. 5. CIC. Orat. p. Sylla [1]).

„Hic (SYLLA) ita quievit ut ex eo tempore omni Nea„poli fuerit."

„Quoniam videri poterat P. SYLLA damnatus conscien„tia detecti criminis (damnatus erat de ambitu cum Autronio, quum uterque erat consul designatus) „sui, „ab oculis omnium secessisse et urbem Romam reli„quisse, trahit orator ad verecundiae argumentum di„cens eapropter sub oculis esse civium noluisse, quod „erubesceret in aliquo vitae suae articulo honorem de„floratum, dignitatemque mutilatam. Nec *moverit* [2]) „nos quod ita loquatur de SYLLA CICERO quasi damna„tus crimine ambitus habuerit Romae demorandi facul„tatem. Habuit enim secundum legem Calpurniam. „Nam superioribus temporibus damnati lege Cornelia hoc „genus poenae ferebant ut magistratuum petitione per „decem annos abstinerent. Aliquanto postea severior „lex Calpurnia et pecunia mulctavit et in perpetuum „honoribus iussit carere damnatos. Habebant tamen li„centiam Romae morandi. Postea iam damnatis SYLLA „et AUTRONIO poenam graviorem consules C. ANTONIUS et „CICERO sanxerunt, ut praeter haec veteribus legibus „constituta etiam exilio mulctarentur." Sunt haec pro parte vera, sed non ita scripta ut unicuique satisfacere possint omnibus nominibus.

---

1) ORELL. p. 361. p. 2ae Vol. V.

2) Leg. *movebit*.

Cuius rei demonstratio non debet nos diu detinere. Nam Schol. Bob. inventus ab ANGELO MAIO ex palimpsesto [1]) multiplicibus laudibus ab editore primo ornatur, quibus satis indignus videtur. Rhetor est, ut iam ORELLIUS [2]) dixit, semibarbaro usus sermone, seculi quarti vel quinti; ipse Graecae linguae usus, quem praedicat MAIUS contra eum facit, quippe quo crebrius utuntur peiores et posteriores scholiastae; quod frustra quaeres apud ASCONIUM optimum CICERONIS interpretem, nonnunquam invenies apud PS. ASCONIUM cum ASCONIO non comparandum [3]), saepius apud Scholiasten Gronovianum, qui nullius fere est momenti [4]). ANGELUS MAIUS auctorem suum laudando incidit in vitium omnibus philologis commune, qui novum codicem invenerint vel primi ediderint. Nam ut hoc exemplo utar, non latebat MAIUM, quod et ipse annotat [5]) non ANTONIUM et CICERONEM consules sanxisse legem de ambitu sed δόξαι τῇ βουλῇ τοῦ Κικέρωνος ἐς τὰ μάλιστα ἐνάγοντος [6]).

Aliquanto post legem Corneliam, ut scribit scholiastes, lex Calpurnia lata est nempe a. u. c. 687. a. C. 67 igitur CXX fere annis post legem Corneliam Baebiam. Estne hoc *aliquanto post*, vel estne verisimile per tantum annorum intervallum ambitum quievisse, quum temporibus CALPURNII et CICERONIS fere quotannis de ea re ferretur?

---

1) Vide ANGELI MAII praefationem quam repetiit ORELL. V. pars 2. p. 217.

2) l. l. p. 220. n⁰. 2.

3) Vide e. g. ORELL. l. l. p. 390, 391, 403 et saepuis.

4) Cf. de his egregia MADVIGII Disp. crit. de Q. ASCON. PED. et aliorum veterum interpretum in CIC. orationes commentariis. Hauniae 1828. cf. ORELL. l. l. V. p. 2. sub ipsum initium.

5) N⁰. 4. p. 362. l. l.

6) D. C. XXXVII. 29. Quod CICERO ipse quoque saepius declarat.

Ut paucis omnia de Cornelia Baebia contraham, sic statuendum esse mihi videtur.

1. Latam esse unam legem a. u. c. 573. a coss. P. CORNELIO et M. BAEBIO.
2. Latam esse initio anni.
3. Nil certi statui posse de iis, quae hac lege cavebantur, nisi quod contra ambitum lata fuerit.
4. Locum Schol. Bob. ad hanc legem perperam referri.

Oritur tamen adhuc quaestio, quam si dirimere non possum, quod adhuc iam saepius frustra multi sunt conati, mihi iuveni vitio certe id non vertetur.

Quaestio de qua est agendum haec est: Fragmenta CATONIS de quibus egimus a MEYERO referuntur ad legem Baebiam „ut alternis annis quatuor solummodo „praetores crearentur [1])." Tum demum diiudicari potest quae sit MEYERI opinioni fides habenda si constabit de lege Baebia „ut alternis annis quaterni praetores „crearentur."

Quo anno lata sit illa lex ignoratur. LIVIUS sic scribit [2]) potquam monuisset de lege Villia annali: „praetores IV post multos annos lege Baebia creati, „quae alternis (annis) quaternos iubebat creari; hi facti „CN. CORNELIUS SCIPIO, C. VALERIUS LAEVINUS, Q. et P. „MUCII, Q. F. SCAEVOLAE." Praetores primum creati sex, quo anno consulatum gerebant T. QUINCTIUS FLAMININUS et SEX. AELIUS PAETUS CATUS i. e. a. u. c. 556. a. C. 198. Igitur primum sex praetores fuere a. u. c. 557. a. C. 197. Cur fuerint VI creati diserte addit LIVIUS: „crescentibus iam provinciis et latius patente imperio.

---

[1]) MEYERUS fragm. Orat. Roman. p. 62.

[2]) LIV. XL. 44.

Sex praetores creati sunt annis u. c. 558 (LIV. XXXIII. 24), 559 (ibid. 42), 560 (LIV. XXXIV. 42), 561 (ibid. 54), 562 (LIV. XXXV. 20), 563 (LIV. XXXVI. 2), 564 (LIV. XXXVII. 1), 565 (LIV. XXXVII. 47), 566 (LIV. XXXVIII. 35), 567 (ibid. 42), 568 (LIV. XXXIX. 6), 569 (ibid. 23), 570 (ibid. 32), 571 (ibid. 45), 572 (ibid. 56), 573 (LIV. XL. 18), 574 (ibid. 35).

Anno sequenti creati sunt quatuor praetores ex lege Baebia (LIV. l. l.). POMPONIUS [1]), ne verbo quidem nominat praetores quatuor ex lege Baebia institutos. PIGHIUS [2]) quem etiam laudat MEYERUS [3]) sic annotat: „in „hunc annum Praetores tantummodo quatuor post mul- „tos annos ex lege Baebia creati fuere, quae alternis „annis ad quaternos iubebat creari, de qua nihil qui- „dem ille in anterioribus, licet satis significet, ante ali- „quot annos eam latam fuisse."

Quae omnia merae sunt coniecturae, nullis nixae argumentis.

LIVIUS iis locis, quos supra laudavi, semper nominat VI praetores creatos, ne verbum quidem de lege Baebia dicit eo anno, quo legem latam esse PIGHIUS suspicatur. Quod quum per se iam satis falsam coniecturam arguat, aliud etiam est cur CATONIS verba ad hanc legem nullis machinis accommodari queant. Licet lex lata sit Baebia, a. u. c. 562, quid inde necessario sequitur? Nihil ut mihi videtur cogitari posse minus verisimile quam alicui attribuere orationem, qua dissuadeat ne lex derogetur, quae eo ipso anno postquam lata sit ne vim quidem

---

[1]) L. 2. § 32. ff. de Orig. iuris.
[2]) Ann. II. p. 339.
[3]) MEYER. o. l. p. 62.

habuisse videatur neque postea abrogata sit, quum XIII annis post de ea mentionem esse factam inveniamus. Nec ullum vestigium est in Livianis verbis [1]) legis quam PIGHIUS sibi invenisse videtur. At ille sic ratiocinatus esse videtur: Quum ATILIO et BAEBIO evenissent Hispaniae, prorogatum est illarum provinciarum imperium FLAMINIO et FULVIO, et simul ATILIO et BAEBIO aliae provinciae decretae; veritus est BAEBIUS ne saepius talis prorogatio locum haberet atque sic praetores recens creati abstinere deberent provincia. Idcirco legem tulit „ut alternis annis quaterni crearentur praetores".

Crescentibus imperii provinciis opus erat ut plures crearentur Praetores, qui provinciis praeessent, non contra. Pugnat pro PIGHIO, quod sequitur: quod post annum u. c. 562, duobus praetoribus Hispaniarum semper, excepto triennio belli cum PERSEO [2]), imperium in annum prorogatum sit [3]); erat igitur satis alternis annis quatuor creare praetores. At constat post a. u. c. 562 semper fuisse VI praetores si excipias a. u. c. 575; quid igitur est, quod ea lege usi non sint? etiam postea, certe ad finem l. XLV LIVII historiarum i. e. ad a. u. c. 587 semper sex memorantur praetores (praeter a. u. c. 577, cuius anni comitia consulum ac praetorum desiderantur) [4]): semel quoad scimus igitur haec lex in usu fuit, idque quum multis annis postquam lata esset quatuor praetores lege Baebia sunt creati.

Ex ipsis verbis legis apparet eam esse latam post VI

---

[1]) LIV. XXXV. 20.
[2]) LIV. XLV. 16.
[3]) Vide DUKERUM ad LIV. XL. 44.
[4]) Locos de praetoribus illis annis creatis collegit DUKERUS ad LIV. XL. 44.

praetores primum creatos, igitur post a. u. c. 556 longe autem ante a. u. c. 574. Sed quid nunc opus est ad unam eam legem semel observatam tria illa Catonis fragmenta trahere? Et cur dissuasisset CATONE ne ea lex derogaretur, quae nunquam vim habuit? Praeterquam quod pro mea sententia pugnant vocabula ex loco apud NON. MARC. [1]); „*pecuniam inlargibo tibi*" multo magis ex ingenio etiam erat CATONIS legem Baebiam *de ambitu* civibus commendare, quam misellam illam de praetoribus.

Has ob caussas facile adducor ut verba CATONIS legi Baebiae, de praetoribus creandis abiudicem, atque ad Baebiam de ambitu referam.

Quibus addenda haec sunt: constare legem de ambitu latam esse CORNELIO BAEBIO coss.; de lege Baebia, quam PIGHIUS cogitavit nihil certi dici posse; verba ipsorum fragmentorum legem de ambitu indicare; de praetoribus igitur quaternis, alternis annis vix h. l. cogitari posse.

Addit MEYERUS l. l.: WEBERUS similem at non eandem sententiam habet; CATO (ut ait) dixit „ne lex Baebia de„rogaretur (a. u. c. 574) quae alternis annis, quaternos „iubebat praetores creari. BACHIUS [2]) huic opinioni fa„vet." At BACHIUS l. l. litera *r* nullum omnino habet argumentum quo ad hanc opinionem adducatur; nisi forte hoc putas argumentum esse quod lex nunquam nisi eo anno, quo periculum fuit ne derogaretur, observata fuerit. Neque video, qua in re illi discrepent a PIGHIO, neque quid his verbis MEYERUS sibi voluerit.

---

1) L. VII. p. 470.

2) BACHIUS, Historia Iurisprudentiae p. 150. (Utitur MEYERUS ed. Lips. a. 1796).

§ 5.

Lex Cornelia Fulvia.

A. U. C. 595. A. U. C. 159.

Inter hanc legem latam et legem Corneliam Baebiam, locum scriptores nonnulli dedere Scto cuidam, quod a. u. c. 588 a. c. 166 latum ferunt.

Rein [1]) prudentius scribit eo anno in Senatu de ambitu actum esse, quoniam comitia ambitiosissime fierent. Verba IULII OBSEQUENTIS, qui solus de ea re mentionem facit sic audiunt [2]): „comitia quum ambitiosissime fierent „et ob hoc Senatus in Capitolio haberetur, milvus vo- „lans mustelam raptam de sella IOVIS in medio con- „sessu patrum misit."

Plura ea de re nescimus; sed fortasse nonnulla deduci possunt ex IUL. OBSEQUENTIS verbis. Sequitur enim LIVIUM, quod uno alteroque argumento primum indicabo a SCHEFFERO prolatis, qui sic scribit [3]): „Porro in conficiendo „hoc opusculo LIVIUM praecipue secutus videtur. Arguit „hoc primnm quod iisdem fere verbis utatur, quibus „LIVIUS ut ex iis constat, quae in LIVIO nobis reliqua „manserunt et ab OBSEQUENTE memorantur. Deinde quod „in DRUSI temporibus finiat narrationes suas; idem enim „LIVIUS quoque facit."

Livius in Epist. XLVI nullam facit mentionem Senatus convocati, quamvis hic, illic legis de ambitu latae indicium in epitome inveniatur. Sic v. c. legis Corne-

---

1) Rein. op. l. p. 708.

2) Iul. obseq. c. 71. M. MARCELLO, P. SULPICIO coss.

3) Scheffercs, Praef. ed. IUL. OBSEQ. Amstelod. 1679. Cf. FREINSHEM. in supplem. LIVII.

liae Fulviae paullo post latae meminit [1]). Quod si coniunxeris cum mentione prodigii apud IUL. OBSEQUENTEM obvia, facile possumus statuere Senatum contra ambitum novi quid tunc non decrevisse, quod et inde apparere videtur, quod paullo post lex lata est Cornelia Fulvia a. u. c. 595. a. C. 159 coss. CN. CORNELIO DOLABELLA, M. FULVIO NOBILIORE; qua de lege, quum diserta auctorum classicorum testimonia ad nos non pervenerint, plurimae coniecturae factae sunt, quarum auctoritatem et vim pro viribus diiudicare conabimur.

LIVIUS l. l. nil de lege nisi haec: *lex de ambitu lata.* DUKERUS ad locum Livianum annotavit de anno nihil certi ex epitome statui posse, quod quum habeat veritatis speciem tamen ut mihi videtur, non est accipiendum. Potest enim demonstrari censores fuisse eo anno, quo CORNELIUS et FULVIUS consules erant; censuramque adeptos P. CORNELIUM NASICAM, M. POPILLIUM LAENATEM [2]).

Ultima verba Ep. XLVI sunt: „CETHEGO consuli pro„vinciam evenisse siccandarum paludum Pomptinarum, „ex quibus agrum fecit;" quum Ep. XLVII hisce incipit: „CN. TREMELLIO tr. plebis mulcta dicta est. Lex de „ambitu lata est. Lustrum a censoribus conditum est."

Si certi igitur nihil de anno statui potest hoc tamen apparet vel initio anni u. c. 595 vel fine a. u. c. 594 legem esse latam.

Iis temporibus ambitum iam omnibus modis comprimere studuisse in republica principes apparet ex PLINIO [3]): „L. PISO prodidit M. AEMILIO C. POPILLIO II.

---

1) LIV. Ep. 47.

2) Vide FISCHERUM in opere laudato; die Römische Zeittafeln, ad hunc annum.

3) PLIN. H. N. XXXIV. 14.

„coss. a censoribus (igitur anno post consulatum CORNELII et FULVII) P. CORNELIO SCIPIONE, M. POPILLIO statuas circa forum eorum, qui magistratum gesserunt, „sublatas omnes, praeter eas, quae populi aut senatus „sententia statutae essent. Eam vero, quam apud aedem Telluris, statuisset sibi SP. CASSIUS, qui regnum „affectaverat, etiam conflatam a censoribus. *Nimirum* „*in ea re quoque ambitioni providebant illi viri.*"

Exstat praeterea locus CATONIS, qui bis laudatur a PRISCIANO [1]) „sed sunt partim, qui duarum rerum alterius utrius causa magistratum petunt."

Ad quem annum i. e. ad quam legem de ambitu suadendam vel dissuadendam haec verba referenda sint ambigitur, nec is sum qui rem diiudicandam mihi sumam. MEYERUS scribit [2]): *oratio de ambitu* dicta videtur a. u. c. 594 (595) a. C. 159 [3]), vel a. u. c. 573 a. C. 181, vel ut ELLENDT [4]) a. u. c. 571 a. C. 184.

Non habent tamen omnes illae sententiae, quo se eodem iure commendent; quippe ad annum 573 idcirco non esse referendum hoc fragmentum arbitror, quod tunc additum vellem eo tempore esse latam legem Baebiam de qua supra; nam haec lex si verum illic vidi in omnibus locis suo nomine (Baebia) dicitur; nec est quod hoc loco ab eo more recedatur.

---

1) Tom. I. p. 208. p. 243 ed. PUTSCHII.

2) p. 53. op. l.

3) Has protulit opiniones MEYERUS in editione priore. Postea quum nactus sum editionem alteram (Turici 1842) vidi eum omisisse a. u. c. 595 et solum scripsisse de lege lata a. u. c. 573 vel 570 ad quam hunc locum CATONIS referret. Vid. ed. 2ae p. 88 sq.

4) In historia eloquentiae Rom. p. XXIII, quam praemisit editioni CICERONIS Bruti. — Regimonti Borussorum 1825.

Quod ad annum 570 (ut ELLENDT scribit l. l.) pertinet, neque huc referendum fragmentum hocce puto: nam apud LIVIUM accurate censuram CATONIS et FLACCI describentem nullum huius rei video vestigium.

Pro anno 595 (hic annus nunc omittitur a MEYERO in 2ª editione vide not. 3. pag. 49) facere videtur, quod eo anno fiat mentio legis de ambitu latae, quum superiores leges deficere videbantur; nec obstat quod CATO tunc temporis annum agebat aetatis 75, quippe qui „sextum „et octogesimum annum agens causam dixerit, ipse „pro se oraverit, scripseritque; nonagesimo anno SER. „GALBAM ad populi adduxerit iudicium [1]."

Sed sunt haec fortasse subtiliora quam veriora. Quod ad locum Schol. Bob. legis Corneliae, hunc neque superiori neque huic legi adscribendum puto. In sequenti paragrapho de hoc loco videbimus.

Post hanc legem Corneliam Fulviam (quamquam non disertis verbis) primum mentio fit de ambitus poena. Non opus est tamen ut hanc ob causam fragmentum Schol. Bob. huc referamus; immo etiam illa poena potest quis argumento uti in contrariam sententiam. Legitur enim apud POLYBIUM [2]) in *συγκρίσει τοῦ Λακώνων καὶ Καρχηδονίων Ῥωμαίων τε πολιτεύματος* ubi comparat *τὰ ἔθη καὶ τὰ νόμιμα* i. e. mores maiorum *περὶ τοὺς χρηματισμοὺς* apud utrumque populum quantum Romani praecellant Karthaginiensibus, cuius opinionis in fidem haec addit: *παρὰ μὲν Καρχηδονίοις δῶρα Φανερῶς διδόντες λαμβάνουσι τὰς ἀρχὰς* [3])· *παρὰ δὲ Ῥωμαίοις θάνατός ἐστι περὶ τοῦτο πρόστιμον.*

---

[1]) LIV. XXXIX. 40. f.

[2]) POL. VI. 56.

[3]) Hoc posterioribus temporibus Romae quoque invaluit.

Poena haec est constituta lege paullo ante POLYBII tempus lata vel eo tempore quum hic Romae degebat; quumque haec lex quoad scimus atque memoriae traditum habemus Cornelia Fulvia sit, non dubitavi ei hoc caput adscribere quo cautum erat ut θάνατος [1]) i. e. crimen capitale esset in eos, qui φανερῶς suffragia emerant quod significat: „iudicium de iis, qui illicite ambiunt esto apud populum [2]).

Cadunt haec enim in ea tempora, quum quaestiones perpetuae nondum erant institutae, quumque illud XII tabularum observabatur [3]): de capite civis nisi per „*maximum comitiatum* ne ferunto," quo indicantur comitia centuriata.

Quae tamen opinio non omnium est scriptorum [4]). Sic GÖTTLING intelligit per *comitiatum maximum* comitia et centuriata et tributa. Potius amplector GEIBII [5]) sententiam. Non admittenda enim videtur GÖTTLINGII opinio l. l. contendentis CICERONEM comitiatum maximum dixisse idcirco *comitia centuriata* [6]) quod haec interpretatio tempori quo ille vivebat apta esset, non tamen iis temporibus, quibus leges XII tabularum vigerent [7]).

Haec habui, quae de temporibus antiquioribus scri-

---

1) Non *mors* ut scripsit BEAUFORT Rep. Rom. II. p. 73.

2) Sic idem POLYBIUS scripsit (VI. 14) inter alia: τιμῆς γάρ ἐστι καὶ τιμωρίας ἐν τῇ πολιτείᾳ μόνος ὁ δῆμος κύριος· θανάτου δὲ κρίνει μόνος. cf. GEIB op. l. p. 31.

3) CIC. de Legg. III. 19.

4) GÖTTLING, Röm. Staatsverf. p. 318.

5) GEIB, Gesch. des Röm. Crimin. Proc. p. 31 sq. ubi vide etiam sententiam ceterorum virorum doctorum.

6) CIC. de Rep. II. 36 f. p. Sestio 30 § 65.

7) De significatione voc. capitis his locis vide inter plures GÖTTLING, Röm. Staatsverf. § 34. p. 51 sq. § 58. p. 114 sqq., cf. tamen NIEBÜHR, Röm. Gesch. I. p. 642.

berem; tractanda nunc sunt ea tempora, de quibus certiora et plura veterum testimonia ad nos pervenerunt. Volo ea tempora, quibus mores invenimus depravatos, quum civitatem invasissent luxuria et avaritia, hominesque φιλονεικοτέρους τοῦ δέοντος περί τε τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἄλλας ἐπιβουλάς [1]).

Initium capiemus a loco Schol. Bob. saepius laudato, qui ansam nobis praebebit ut MARII SULLAEque tempora tractemus; itaque respondibemus quaestioni:

§ 6,

Quo referendus sit locus Scholiastae Bobiensis.

Diximus supra de auctoritate Schol. Bob. et de loco ad Orat. p. Sulla c. 5. [2]): „nam superioribus temporibus (ante legem Calpurniam) damnati lege Cornelia „hoc genus poenae ferebant ut magistratuum petitione „per x annos abstinerent. Aliquanto postea severior „lex Calpurnia et pecunia multavit et in perpetuum „honoribus iussit carere damnatos" cett.

Relatum est illud legis Corneliae caput ad diversas leges, ad diversa tempora. Sic v. c. REIN [3]) refert ad legem Corneliam Fulviam; ANGELUS MAIUS [4]) et BECKER [5]) ad legem Corneliam Baebiam; MOMMSEN [6]) ad legem quandam SULLAE. Dubitat NIEBÜHR [7]) de CORNELIO CETHEGO, de SULLA et de CORNELIO DOLABELLA (595).

---

1) POLYB. VI. 57 § 5.
2) ORELL. Tom. V. p. 361.
3) REIN. op. l. p. 708.
4) In annot. ad Schol. apud ORELL. l. l.
5) Handb. der Röm. Antiq. T. II. 2. p. 41.
6) MOMMSEN, de collegiis et sodal. Rom. p. 44. n. 7.
7) NIEBÜHR Vorträge II. 225, 226. n°. 1.

Argumenta tamen harum sententiarum a nullo adduntur.

REINII opinio, ut mihi videtur, refellitur ipsis Schol. verbis [1]): uti diximus voc. „*aliquanto postea*" non continere annos fere nonaginta qui intercedunt inter legem Corneliam Fulviam a. u. c. 595. a. C. 159 et legem Calpurniam a. u. c. 686. a. C. 68.

Neque dubitandum est, quin aliae certe fuerint interea leges de ambitu latae.

Notum enim est quid labente Rep. tempore Marianarum et Sullanarum turbarum et antea in magistratibus emendis sit perpetratum. Si opus erat Romanis nondum avaritia et luxuria perditis, nullis adhuc provinciis ansam praebentibus omnium fere magistratuum furtis et facinoribus impudentissimis, novas de ambitu condere leges v. c. legem Corneliam Baebiam a. c. 181. Corneliam Fulviam 159 a. C. mirum unicuique accidat necesse est tanto intervallo usque ad legem Calpurniam a. c. 68. nullam de ambitu comprimendo fieri mentionem.

Quo igitur locus referendus est? Respondeo: ad legem quandam L. CORN. SULLAE Dictatoris.

MOMMSEN [2]) sine ullo argumento a CORN. SULLA eam legem rogatam videri dixit [3]). Cuius sententiam sic defendo:

1. Quod necessario sequatur ex SULLAE legislatione.
2. Quod ex auctorum classicorum indiciis satis appareat.
3. Quod eo tempore ambitus in urbe Roma ferbuerit.

---

[1]) Vid. p.

[2]) MOMMSEN op. l. p. 44. n. 7. 8.

[3]) Nec ullum argumentum profertur a ZACHARIÄ. op. l. II. p. 43. 101.

I. Aliquanto altius res repetenda videtur atque paucis pertractanda est iudiciorum publicorum [1]) historia [2]).

Primis temporibus dicuntur reges iudicia exercuisse de criminibus, quod testatur inter alios DION. HALICARN. his verbis [3]): „τῶν τε ἀδικημάτων τὰ μέγιστα μὲν αὐ-„τὸν (τὸν βασιλέα) δικάζειν, τὰ δὲ ἐλάττονα τοῖς βου-„λευταῖς ἐπιτρέπειν. De gravissimis delictis igitur ipsi reges cognoscebant: minora Senatoribus diiudicanda permittebant [4]).

Consules, exactis regibus, in omnia fere eorum iura successisse videntur et sic BRUTUS de suo ipsius filio supplicium esse sumendum decrevit. Quod etiam indicatur a POMPONIO [5]), quum dicat consulum potestatem aliquantulum esse imminutam: „qui (consules) tamen „ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent lege „lata factum est ut ab iis provocatio (lege Valeria) esset „neve possent in caput civis Romani animadvertere in-„iussu populi" cett. Ex eo inde tempore, quum iussu populi igitur quaeri coeptum est in caput civis Romani

---

1) Quaenam sint iudicia publica docemur l. 1 ff. *de publ. iud.* „non omnia iudicia in quibus crimen vertitur publica sunt, sed ea „tantum, quae ex legibus iudiciorum publicorum veniunt, ut Iulia „maiestatis." cett.

Cf. SCHMIEDECKE, de historia proc. crim. Roman. Commentat. I. p. 154. Vratislaviae 1827.

2) De sequentibus omnino conferendus est GEIBIUS in op. laud. passim.

3) DION. HAL. II. p. 87 ed. SYLBURG.

4) Recte ut mihi videtur de legibus regiis et de antiquissimo iure criminali Roman. disputavit ABEGG V. Cl. in commentatione quae prodiit Regimonti 1823. cf. praesertim c. III. p. 28—53, quamvis negari nequeat totam rem tantis tenebris esse offusam, ut qui eam recte atque ordine expediat inveniri vix possit.

Cf. RUBINO, über Röm. Verf. und Gesch. Cassel 1839 p. 446 sqq.

5) L. 2. ff. § 16 *de Orig. iuris.*

instituti videntur Quaestores parricidii, de quibus FESTUS [1]: „parricidi quaestores appellabantur, qui solebant creari „rerum capitalium quaerendarum"; cui addendus est idem POMPONIUS [2]: „et quia ut diximus de capite civis „Romani iniussu populi non erat lege permissum con-„sulibus ius dicere, propterea Quaestores constitueban-„tur a populo, qui capitalibus rebus praeëssent; hi ap-„pellabantur Quaestores parricidii, quorum etiam me-„minit lex XII tabularum" [3]. Ex hoc igitur tempore omnia illa iudicia iure dixeris extraordinaria, sive Consul, sive Praetor, sive Dictator aliusve quilibet, iussu populi iis praefuerit; nam si delictum aliquod commissum esset nova lege erat opus. Qua in re sic egisse videntur Romani, ut exemplo indicabo posterioris temporis, nempe CLODII [4], quoniam nullus dubito, quin hac in re nil Romani mutaverint.

Quum CLODIUS sacra polluisse diceretur nulla erat quaestio perpetua i. e. *ordinaria*, nec ulla lex specialis ex qua teneretur. Ea res quum ad sacra pertineret Patres conscripti, sicut in tali re oportebat [5], ad Pontifices referendum decreverunt, a quibus quum nefas illud facinus esset decretum, consules ex Scto rogationem promulgarunt [6].

Ex Scto tribuni pl. iubebantur quam primum de ea re ad populum ferre. Comitia tributa habebantur, quibus negotium Senatui mandari solebat, Senatus tunc

---

[1]) FEST. voc. parricidi (quaestores.) p. 221. Ed. MÜLLERI.
[2]) POMP. l. l. § 23.
[3]) Cf. GEIB. op. l. p. 50 sqq.
[4]) Vide ASCON. p. ORELL. 53.
[5]) CIC. de Harusp. Resp. c. 6 sq.
[6]) CIC. ad Att. I. 13.

negotium dat uni alterive ex magistratibus, qui de ea re quaerat [1]). Semel negotium datum est Dictatori i. e. magistratui extraordinario [2]). Eodem modo CLODII causam Senatui esse commissam apparet [3]) nam ep. 13. l. l. scriptum est rogationem de ea re fuisse decretam; at ep. 14: „quaesierit ex eo, (FUNDANIUS Tr. pl. ex POMPEIO) „placeretne ei iudices a praetore legi, quo con„silio idem praetor uteretur. Id autem erat de Clodiana „religione a Senatu constitutum [4])."

Quum tamen numerus quaestionum illarum extraordinariarum valde cresceret, institutae sunt quaestiones perpetuae [5]), quae dicuntur.

Quo anno institutae sint de omnibus non constat. L. CALPURNIUS PISO FRUGI historicus [6]), in tribunatu pl. tulit primus de *pecuniis repetundis* CENSORINO et MANLIO coss. i. e. a. u. c. 605. a. C. 149 [7]).

Quando tres aliae secutae sint quaestiones perpetuae *de ambitu*, *de maiestate*, et de *peculatu* non facile quis accurate dicet, sed constat ante Sullana tempora iam

---

[1]) LIV. XXXVIII. 54. continet exemplum talis rogationis. Cf. LIV. IV. 51. XXXIX. 14.

[2]) LIV. IX. 26.

[3]) CIC. ad Att. I. 14.

[4]) Cf. tota epistola. 14 et 16.

[5]) Significationem vocc. *quaestio perpetua* ex comparatione *edicti perpetui* et ex oppositione *quaestionis temporariae* derivandam esse recte docetur a multis.

Cf. GEIB. p. 170. n. 2. HUGO, Rechts-Gesch. p. 416. n. 2. (ed. XI.) SCHMIEDECKE op. l. p. 154 sq.

[6]) Vide de eo VOSSIUM, hist. Lat. p. 25 sqq.

[7]) CIC. Brut. 27. — SIGON. de Iud. II. 4.

Alios auctores vide apud FISCHERUM ad hunc annum. — Cf. A. BURCHHARDT, die Kriminal-Gerichtsbarkeit in Röm bis auf die Kaiserzeit. Basel, p. 20. n. 2. ubi plures laudantur.

exstitisse; fortasse ad exemplum Calpurniae legis mox latae sunt; nam quaestio de ambitu tam arcte cohaeret cum quaestione de repetundis, ut illam sine hac cogitare vix possis [1]).

POMPONIUS [2]), qui non ordine sed satis confuse unum alterumque eorum quae diximus exposuit, de quaestionibus perpetuis (publicis) ne verbum quidem dixit ante SULLAM; nam scribit post IV provincias devictas: „totidem praetores quot provinciae in ditionem venissent, „esse creatos, partim qui rebus urbanis, partim qui „provincialibus praeëssent. Deinde CORNELIUS SULLA, „quaestiones publicas constituit veluti de falso, de par„ricidio, de sicariis et praetores IV adiecit."

Credit enim POMPONIUS ut mihi videtur VIII quaestiones illas omnes a SULLA esse institutas [3]) quod inde conficio:

a. quod nullam illarum quaestionum ante SULLAM faciat mentionem,

b. quod usus sit in enumeratione Sullanarum quaestio-

---

1) Leges de ambitu saepe ab eodem magistratu latae sunt simul cum legibus quae pertinent ad provincias. Sic v. c. CICERO tulit de ambitu et de legationibus liberis. CIC. de Legg. III. 8. § 18 in Rull. I. 3. § 8. Qui enim illis temporibus ius legationis liberae habebant solebant vexare provinciales et reip. causa abesse dicebantur. cf. HOFFMANN diss. quae continet singularia capita ex historia III viratus. Francof. ad Viadr. 1737. § 9. apud Fellenb. II. p. 291.

Qui postea legationem liberam habebant non censebantur reip. causa abesse. l. 14. ff. *de legationibus.*

2) POMPON. l. 2. ff. § 32. *de Orig. Iuris.*

3) Alius error est POMPONII, quod cogitet de X praetoribus: VIII enim erant. CIC. p. Mil. c. 15. cf. post Red. in Sen. c. 9.

CAESAR X instituit. DIO CASS. XLII. 51. GEIB. op l. p. 181.

Non dantur quaestiones perpetuae praetori urbano vel peregrino. FERR. Ep. II. 9. GEIB. op. l. p. 183 sq.

num voc. *veluti* i. e. exempli gratia [1]) quo nemo unquam utetur, si ex IV casibus III sit nominaturus.

SULLA igitur IV addidit quaestiones:

1. de falso.
2. de parricidio.
3. de sicariis, vel inter sicarios [2]).
4. de veneficiis [3]).

Quum SULLA totam rem iudiciariam mutare vellet, novasque multas ferret leges; nam „*corruptissima Re-„publica, plurimae leges*" [4]) etiam in animum induxit vetera de antiquis quaestionibus praecepta renovare et ad suas leges accommodare.

Habemus testimonia veterum auctorum de legibus Corneliis latis de *pecuniis repetundis* [5]) et de *maiestate* [6]). Silentium tamen altum est de lege Cornelia de ambitu;

---

1) Vide exempla allata a DIRKSENIO V. Cl. in manuali Latin. font. Iur. Rom. p. 186. f.

2) [Cf. de ea quaestione inter sicarios iam antea exercita, quae habet CICERO de Fin. II. § 54 (ibique MADVIG.)]

3) De quarta quaestione ambigitur:
Vid. SIGON. de A. J. Pop. Rom. II. 18. FERRAT. Ep. I. 5.

De universa SULLAE legislatione cf. disputatio Doct. VOCKESTAERT de L. CORNEL. SYLLA legislatore. L. B. 1816. Cui addatur opusculum parvi momenti at primario praemio ornatum Doct. WITTICH Lips. 1834, de quo mox plura. — Dr. K. S. ZACHARIÄ, L. CORNELIUS SULLA genannt der Glückliche als Ordner des Röm. Freistaates 1834.

Vide horum operum κρίσιν in Neue Jahrb. für Philol. und Paedag. A. 1838. p. 267—299.

Quarti libri in eo diario commemorati, secundario praemio ornati, a Doct. RAMSHORN conscripti, copia mihi facta non est.

4) TAC. Ann. III. 27. ABEGG. op. l. p. 34. n°. 4.

5) CIC. pr. Rab. Post 4 § 9. ORELL. Ind. leg. p. 226 sq. descripta ex KLENZIO.

6) ASC. ad Corn. p. OR. 59 init. CIC. in Pis. 21 § 50. ORELL. Ind. leg. p. 165.

quod enim de peculatu nulla lex a SULLA lata sit non est quod miremur cum raro mentio fiat peculatus apud auctores classicos [1]). Sed quid plura? Sequitur ex mea sententia SULLAM etiam de ambitu tulisse; sed qui factum est ut diserta hac de re desiderentur testimonia?

Huic quaestioni respondero si indicavero:

II. Ex auctorum classicorum indiciis satis apparere SULLAM legem tulisse de ambitu.

Miror, neminem adhuc quod sciam cogitavisse de poena constituta ex lege Cornelia de ambitu comparanda cum poena ex alia SULLAE lege, quam dicunt de *magistratibus*, nempe:

καὶ νόμῳ κωλύσας τὴν ἀρχὴν πρὶν ἔτη δέκα διαγενέσθαι [2]).

„ne quis eundem magistratum caperet, nisi post „annum decimum".

Non dubito, quin id caput „de magistratu eodem non „bis capiendo intra decennium" pertineat ad eandem legem Corneliam *de ambitu*, cui et plura capita sunt adiungenda. Inter omnes, quos de ambitu scripsisse video, hac in re egregie convenit, legem fuisse latam Corneliam a L. SULLA de *magistratibus*. Non recusabo, sed argumentis malo quam virorum doctorum opinionibus fidem habere. Ad unum omnes illam legem de *magistratibus* a PIGHIO sumpserunt mutuam, atque ita nobis obtruserunt legem a SULLA credo nunquam latam. Scribit VOCKESTAERT [3]), scribuntque alii se sequi

---

1) CIC. pr. Flacc. 18 § 43. LIV. XXXIII. 47. tit. ff. ad leg. Jul. *peculatus* (XLVIII. 13.)

2) APP. B. C. I. 100. WITTICH op. l. p. 208.

3) VOCKESTAERT disp. l. p. 110.

PIGHIUM qui ad a. u. c. 672 [1]) iura et officia magistratuum una lege de *magistratibus* omnia coniunxisse videatur. Sed quid quaeso sibi-vult illa inscriptio: de *magistratibus?* Subintelligisne *capessendis?* Romani legem non ferebant de *provinciis*, sed de *provinciis ordinandis*, nullam de *pecuniis* sed de *pecuniis repetundis*, nullam de *triumviris epulonibus*, sed de *creandis* III *viris epulonibus* [non de *finibus* sed de *finibus regundis*, non de *decemviris* sed de *decemviris ex parte de plebe creandis*].

[Praeterea aliud huc afferam argumentum, quod vehementer facit pro mea opinione, lege Cornelia in loco l. apud Schol. Bob. indicari legem SULLAE. Suspicor enim nullam legem apud Romanos unquam dici Corneliam nisi L. CORNELII SULLAE. In CICERONE semper haec observatio valet. Inspiciat mihi aliquis indices legum: inveniet leges Cornelias (CINNAE); semper et ubique legitur L. CORNELIUS CINNA, vel CINNA tulit. Legem Corneliam habet ORELLIUS de SCIPIONE; at CICERO in eo loco scripsit: „cautum est in SCIPIONIS legi„bus." Multum in ambitus materia facit nomen et lex C. CORNELII tr. pl. At nunquam legitur neque apud CICERONEM neque apud ASC. PED.. de illius lege Cornelia, sed C. CORNELIUS tulit. CICERO ab exilio revocatus est lege Cornelia. At ipse scribit: „legem co„mitiis centuriatis tulit P. LENTULUS consul." Lex Cornelia est DOLABELLAE de novis tabulis; si de ea lege sermo est, legitur: „DOLABELLA tulit."

Haec igitur quum in omnibus obtinere videantur

---

1) Tom. III. p. 261. init.

egregie faciunt pro mea opinione: Scholiasten loqui de lege quadam SULLAE [1])].

Porro omnia capita illius legis de magistratibus pertinent ad magistratus capessendos i. e. ad ambitum, qui eo tempore in corruptissima civitate impune atque impudenter exercebatur, cuique melius mederi non potuit legislator, nisi lege Cornelia, cuius haec fuisse capita videntur, quaeque deinceps illustrabo, quoad opus esse videbitur.

§ 1. ne quis praeturam ante quaesturam *peteret*, neve consulatum ante praeturam [2]).

§ 2. ne quis eundem magistratum *caperet* nisi post annum decimum [3]).

§ 3. uti damnatus ambitus per decem annos magistratuum *petitione* abstineat [4]).

Quartam § hic esse additam puto in gratiam eorum, qui a partibus crudelis dictatoris steterant. Nam quidquid autumat WITTICH per totum suum opusculum SULLAM nonnisi patriae amore fuisse ductum, ab iis certe hoc non concedetur, qui aliquantulum perspexerint quid grassatus fuerit atque saevierit ille in miseros cives Romanos non nobiles. Studio partium ducebatur aeque ac adversarii. Ex eaque cupiditate suspicor fluxisse illam § legis Corneliae de ambitu:

§ 4. Ut iis, qui SULLAE partes in bello civili secuti essent, honores ante tempus *capere* liceret [5]) i. e.

---

1) Vide locos ll. apud ORELL. ind. leg. p. 250. 251. Oratio CATONIS *de magistratibus vitio creatis*. FEST. voc. *neminis*. MEYERUS op. l. p. 41.

2) APP. B. C. I. 100. CIC. Phil. XI. 5.

3) APP. B. C. I. 100.

4) Schol. Bob. p. OR. 361.

5) CIC. Acad. II. 1. ibique interpretes.

ut quis post aedilitatem continuo praeturam et post praeturam consulatum petere posset neque igitur ut videtur, lege annali ii tenerentur [1]).

Ad § 1am. Legitur apud APPIANUM [2]) *οἱ δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελλον· ὁ μὲν (Κράσσος) ἐστρατηγηκὼς κατὰ τὸν νόμον Σύλλα·* [3]) *ὁ δὲ Πομπήϊος οὔτε στρατηγήσας οὔτε ταμιεύσας ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοῖς τριάκοντα.* Hic locus a WITTICHIO [4]) perperam trahitur ad ea, quae § 4 significavimus; nam dicit APPIANUS CRASSUM secundum legem Corneliam petere consulatum quippe qui fuerit praetura functus (*ἐστρατηγηκώς*); POMPEIUM contra, qui neque praetor neque quaestor fuisset non eodem iure petere eundem magistratum. Opinioni meae etiam argumentum est, quod SULLA perpetravit in Q. LUCRETIUM OFELLAM, quod apud eundem APPIANUM legimus [5]), qui Q. LUCR. OFELLAM, per quem Praeneste ceperat, belloque finem imposuerat, medio foro interfecerit quod dignum se putaret *διὰ τὸ μέγε-*

---

1) [Quatuor haec capita, certe III priora, eiusdem esse legis nemo dubitabit. Placitum de x annis in utraque lege legitur, hic de *abstinendo* honoribus illic de non *petendo.* Quod legimus de *petitione* in omnibus occurrit.]

2) APP. B. C. I. 121.

3) Satis mirari non possum WITTICHIUM op l., qui in eo capite, quod inscripsit: *„leges ad coërcendos magistratus maxime sancitae"* § 2. p. 208 dicit, CRASSUM etiam usum fuisse eodem modo ac LUCULLUS beneficio legis SULLAE, quod mox § 4 tractabo. Idem scribit VOCKESTAERT, Disp. l. p. 112. Error doctissimorum virorum inde natus videtur, quod nescirent, quid esset *κατὰ τὸν νόμον.* Significat hoc: *secundum legem, ex lege,* cui dictioni opponitur illud [quod ii posuerunt] *παρὰ τὸν νόμον, contra legem.* CRASSUS praetura functus petiit consulatum secundum legis praeceptum (§ 1); POMPEIUS tamen contra; vide ad § 4.

4) WITTICH op. l. p. 208.

5) APP. B. C. I. 101.

θος τῶν εἰργασμένων, qui quamvis adhuc eques, nondum quaestura nec praetura functus, consulatum peteret contra novam legem.

Invenimus aliud, ut videtur multis, rei eiusdem exemplum apud ASCONIUM [1]) ubi sermo est de CAIO CAESARE interfecto maxime opera (P.) SULPICII [2]) (RUFI tr. pl.) „CAIUS aedilicius quidem occisus est — nam et sperabat et id agebat CAESAR, ut omissa praetura consul „fieret: cui quum primis temporibus iure SULPICIUS re- „sisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad „arma processit." Petiit contra legem, dicit MEYERUS [3]). Aliud, credo, agens hoc scripsit; nam lex ea lata est ut monuimuis a. u. c. 673. a. C. 81 a SULLA, et P. SULPICIUS RUFUS interfecit C. CAESAREM quum tr. pl. erat i. e. a. u. c. 666. a. C. 88. [4]), igitur aliquot annis antequam haec lex a SULLA esset lata [5]). Quum igitur de petitione nondum ea cauta erant quae SULLA sanxit carpendi sunt ASCONIUS et MEYERUS tempora perturbantes; quod tamen factum SULPICII argumento esse potest opinioni eorum qui dicant leges tum demum latas esse apud Romanos, quum facinus aliquod commissum esset, nisi putes, quod tamen necessario non sequitur, CAIUM CAESAREM petiisse contra legem Villiam annalem. Quod idcirco non erediderim quia tunc opus

---

1) Asc. ad CIC. Or. p. SCAURO p. 145 ed. BEIERUS.

2) Cf. CIC. de Legg. III. 9 § 20.

3) MEYERUS fragm. Orat. p. 161. nota ad voc. contra SULPICIUM.

4) Hoc non tenuisse videtur ASCONIUS l. l. quum dicat *iure* SULPICIUM ei restitisse. [nisi haec referenda sunt ad legem quandam latam a. u. c. 411. a. C. 343, LIV. VII. 42. X. 13 a tr. pl. L. GENUCIO.]

5) Asc. PED. ad Cornel. p. Or. 46. CIC. Catil. III. 10. § 24. FISCHERUS ad a. u. c. 666. a C. 88.

fuisset ut legibus solveretur, quod si factum non esset nulla ab eo, qui comitiis consularibus praeerat, haberi poterat petentis ratio. Sic refutari potest ERNESTI [1]) opinio petita ex oratione de *Harusp. Responsis* [2]), quae vulgo sed falso fertur esse CICERONIS; quales orationes falsae CICERONIS iam ASCONII tempore circumferebantur [3]); immo CICERO iam mentionem facit orationum suppositarum aequalis sui paullo antiquioris [4]).

Postea vidi, me, quod priorem sententiae meae partem attinet, habere consentientem DUKERUM [5]).

Ad § 2am. Hoc praeceptum SULLA revocavit ex antiquitate satis remota; erat enim idem cautum aliis plebiscitis, „ne quis eundem magistratum intra decem „annos caperet [6]).” Cui loco egregie convenit illud CICERONIS in libro de Senectute [7]): „atque haec ille „egit XVII annis post alterum consulatum, quum in„ter duos consulatus anni X interfuissent cett.” nempe a. u. c. 447. 458.

Ad § 3am. Hoc modo videtur locus ex Schol. Bob. eo esse relatus, unde eum scriptores transferendum curaverunt; cohaeret poena ex lege imposita damnatis optime cum aliis huius legis praeceptis [8]); in tanto intervallo nullam legem de ambitu esse latam vix credibile erat, praesertim, ut mox indicabo, iis temporibus, quum

---

1) Ad CIC. Brut. 63 § 226.
2) CIC. de Har. Resp. 20 § 43.
3) ASC. in fin. Orat. in toga Candida. p. ORELL. 95. p. V. partis 2ae.
4) CIC. Brut. 56. § 205. MEYERUS fr. Orat. p. 164.
5) DUKERUS ad LIV. Ep. 36.
6) LIV. VII. 42. a. u. c. 412. a. C. 342.
7) CIC. de Senect. 6 § 16.
8) Vide supra p. 61 et 62. n. 1.

ingens esset ambitus; legislatore SULLA qui totam rem iudiciariam novo modo instituit; quique dictator occidi iussit amicum fortissimum, quoniam contra suam legem populum prensabat; diserto denique testimonio Scholiastae Bob., quod inest verbis „aliquanto postea", [et Schol. dictione lege *Cornelia* id esse cautum.]

Ad § 4^{am}. Hoc caput ERNESTI in indice legum refert ad legem Corneliam de proscriptione his verbis: „in „eadem opinor lege fuit, ut iis, qui suas partes in bello „secuti essent, honores ante tempus legitimum *capere* „liceret. Sed aliis placet peculiarem legem de *magis-* „*tratibus* fuisse, quod ipsum non absurdum."

Diserte scriptores unicum exemplum laudant de L. LUCULLO [1]) Eo exemplo [2]) id firmari mihi videtur, SULLAM sibi hanc arrogasse potentiam ut quos vellet legibus solveret: nam huc redit totum illud caput.

Dixi SULLAM legem de ambitu tulisse inde apparere:

III. Quod ambitus eo tempore in urbe Roma ferbuerit.

Huic quaestioni ita respondebo, et nisi fallor sic propositae historicae disquisitioni solum potero satisfacere si deinceps, quae a lege Cornelia Fulvia lata ad L. CORNELII SULLAE tempora in magistratuum petitione et in omni hac materie memorabilia gesta sint, exposuero.

Videndum igitur erit:

A. de iis, quae ad magistratus capessendos emendosve agitata sunt,

B. de lege Gabinia tabellaria, lata a. u. c. 615. a. C. 139. [3])

---

[1]) CIC. Acad. II. 1.

[2]) Fortasse in POMPEII petitione idem accidit quod in LUCULLO monui. APP. B. C. I. 121.

[3]) Vide FISCHERUM op. l. ad h. annum.

C. de lege Maria, qua cautum ut pontes fierent angusti, a. u. c. 635. a. C. 119.

A. Verissimum mihi videtur quod legitur apud CICERONEM [1]): „qualescunque summi civitatis viri fuerint, „talem civitatem fuisse — nobilium vita victuque mu-„tato, mores mutari civitatum." Quod in nulla re magis perspicuum esse contendo, quam in ipso ambitus crimine. Scilicet hac in re omnes conspirant, consentiuntque tum demum civitatem civesque Romanos esse corruptos quum Asiaticae deliciae in urbem fuerint invectae, quumque exinde ortae sint avaritia et luxuria. Quod si cui non ita esse videatur inspiciat mihi SALLUSTII gravissimi auctoris querelas, easque veras [2]); immo Asia luxuriae nomine tam male audiebat ut MURENAE obiiceretur, qui aliquamdiu ibi degerat [3]). Post ea tempora „saevire fortuna, ac miscere omnia „coepit; ambitio multos mortales falsos fieri subegit." Quam vera sint haec ultima nemo luculentius indicavit quam ipse SALLUSTIUS in bello Iugurthino [4]) quum scribit, quibus tandem artibus MARIO processerit ut sibi honores scilicet compararet. „In petitione praeturae „MARIUS supremo loco haesit, quem tamen non sine „periculo obtinuit; ambitus enim accusatus vix atque „aegre absolutionem a iudicibus impetravit" [5]).

Fueritne iam tunc quaestio perpetua de ambitu insti-

---

[1]) CIC. de Legg. III. 14 § 31 sq. [ad Fam. I. 9 § 12]
[2]) SALL. Bell. Cat. 3. 10 sqq. et passim.
[3]) CIC. p. Mur. 5. § 11 sq.
[4]) SALL. Bell. Iug. 63, 64. 84, 85. SEXT. AUR. VICTOR. de V. I. 67.
[5]) VAL. MAX. VI. 9 § 15. PLUT. Mar. c. 5. p. 408 B.

tuta affirmare non ausim, quamvis id verisimile putem; deficientibus tamen certis argumentis. Aliter res se habet in causa C. MAENII Dictatoris et M. FOSLII Mag. Eq. [1]) et P. PHILONIS. Aliud commemorat PLINIUS. iudicium [2]) de ambitu Q. COPONII, quod quo tempore locum habuerit, nescio. Legitur in eo loco ubi agit de plastica et de fictilibus vasisque: „Q. COPONIUM invenimus ambitus damnatum quia vini amphoram dedisset „dono ei, cuius suffragii latio erat." Sic ille, ne verbo quidem amplius. Ex hoc dono, et ex damnatione ob eam causam satis apparet opinor, antiquis illis severisque temporibus hoc iudicium fuisse habitum.

Sed revertamur ad MARIUM; postquam indicaverimus, quantum inter se differant SALLUSTIUS aliique de MARII petitione scribentes. Ille enim [3]) de MARIO: „deinde ab „eo magistratu (trib. mil.) alium post alium sibi peperit; semperque in potestatibus eo modo agitabat uti „ampliore quam gerebat dignus haberetur. Tamen is „ad id locorum talis vir — consulatum adpetere non „audebat" [4]). Quocum comparanda verba CICERONIS [5]) „C. MARIUS duabus aedilitatibus repulsus" et VALERII MAXIMI [6]): „Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, „quaesturam Romae petere ausus est. *Patientia deinde „repulsarum* irrupit magis in curiam quam venit. In

1) Vide p. 34.
2) PLIN. H. N. XXXVI. 46.
3) SALL. Bell. Iug. 63.
4) Cur ita fuerit diximus p. 32 sq.
5) CIC. p. Planc. 21. § 51.
6) VAL. MAX. VI. 9 § 14.

„tribunatus quoque et aedilitatis petitione consimilem „*campi notam* expertus. Praeturae candidatus supremo „loco inhaesit [1]). Ex illo MARIO tam humili Arpini, „tam ignobili Romae, tamque *fastidiendo candidato* ille „MARIUS evasit" cett. Quomodo MARIUS duabus aedilitatibus repulsus sit narrat PLUTARCHUS [2]), qui postquam exposuit de discrimine inter aedilitatem curulem et plebeiam, deque aedilibus curulibus ante aediles plebeios creandis sic fere pergit: quum MARIUS intelligeret se repulsam laturum in aedilitatis curulis petitione, transiit ad aedilitatem plebeiam petendam, ubi, quum hoc factum insolitum et audax haberetur itidem repulsam tulit [3]).

Ex loco VAL. MAX. laudato apparet MARIUM fuisse absolutum. Quid caussae fuerit accusationis scribit PLUTARCHUS l. l. servus enim SABACONIS, MARII necessarii, visus erat ἐντὸς τῶν δρυφράκτων [4]) i. e. intra circumsaeptionem, *ovile*, quod dicitur, interque eos igitur, qui suffragia ferebant. Qua de re SABACO interrogatus respondit se sitisse, frigidamque postulasse, quam ei servus dederit, qui tamen statim discesserat. Ob quod testimonium SABACO est Senatu motus a proximis censoribus.

---

1) Quam honestum esset primus vel inter primos creari saepius legitur apud CICERONEM; p. Murena passim, p. Sest. 3 § 6. in Pis. 1. § 2.

2) PLUT. Mar. 5.

3) PLUTARCHUS l. l. accurate refert quid MARII tempore moris fuerit. Nonnumquam etiam evenit per dilationem comitiorum aedilibus curul. creandis, CIC. ad Fam. VIII. 4. § 3. Cf. omnino WUNDERUS Prol. ad Planc. LXXXIII—LXXXVIII. PIGH. ad a. u. c. 639.

4) Voc. sumtum ex iudiciis et comitiis Athen. cf. ARIST. Vesp. 386. 552.

MARIUS tamen absolutus est παραλόγως (contra, praeter exspectationem) ἀπέφυγεν ἴσων τῶν ψήφων γενομένων[1]. Haec omnia, etiam ea de aedilitatis petitione ex PLUTARCHO hausimus; quod eodem loco de HERENNIO, MARIORUM patrono narrantur, sunt ab eo Graecis lectoribus scripta [2]. Quamquam in eo fuit MARIUS ut damnaretur, non valde hoc discrimen curasse videtur, certum enim est eum postea sextum consulatum emisse [3] a. u. c. 654. a. C. 100. Qui annus multis seditionibus turbisque in historia notatus postulat, ut paullo uberius de tota civitatis ratione dicamus.

Sullana Marianaque tempora omnibus nota sunt nec est, quod pluribus de iis disputem; exponam modo quid Mariana factio grassata fuerit in honoribus sibi vindicandis.

Anno u. c. 652. a. C. 102. censura fuit Q. CAECILII NUMIDICI et Q. CAECILII CAPRARII METELLORUM; ille si quis alius homo nobilissimus optimatiumque fautor. Erat infestissimus Marianis, praesertim L. APPULEIO SATURNINO quocum graves ei intercedebant inimicitiae. Conatus est igitur censor L. SATURNINUM notare [4]) qui tunc erat tr. pl. [5]) τιμητὴς δὲ Κόϊντος Καικίλιος Μέτελλος — Ἀπουλήϊον Σατουρνῖνον δεδημαρχηκότα ἤδη τῆς ἀξιώσεως παρέλυεν — οὐ μὴν ἐδυνήθη· ὁ γάρ οἱ συνάρχων οὐ συνέθετο·

---

1) De paribus sententiis earumque effectu vide CUIAC. Observ. XII. 16. Si in magistratibus creandis v. c. in aedilitate plures quam duo erant pares suffragiis ad sortitionem confugiebant. CIC. p. Planc. 22 § 53. ibique WUNDERUS. GRUCHIUS de Comitiis. Rom. II. 4.

2) BEAUFORT Rép. Rom. T. II. p. 109.

3) PLUT. Mar. 25 et SENEC. Ep. 94.

4) CIC. p. Sest. 47. § 101.

5) APP. B. C. I. 28.

Necesse igitur est ut haec cadant in ultimam a. u. c. 652 partem; nam L. SATURNINUS tr. pl. erat a. u. c. 653 a. C. 101, (Trib. pl. non Kal. Ian. sed a. d. IV Id. Dec. magistratum inibant [1]); vel in priore parte a. u. c. 654 antequam METELLUS censuram deposuisset.

Quum L. SATURNINUS igitur gesserit tribunatum, a. u. c. 653. MARIO consule V addendum est, quomodo hunc honorem acceperit, qua de re scriptores multi indignabundi scribunt, quod tunc fere primum per vim et caedes factio quaedam suos creandos curavisset candidatos. Sicut enim factum erat in MARIO primum petenti, ita SATURNINO eventura comitia videbantur; IX ex X tr. pl. creati iam erant; unus restabat locus duobus candidatis A. NUMIO vel NONIO et L. SATURNINO: „occiso A. NO„NIO competitore tr. pl. per vim creatus non minus „violenter tribunatum, quam petierat, gessit, et quum „legem agrariam per vim tulisset METELLO NUMIDICO, „eo, quod in eam non iuraverat diem dixit [2])" cett.

---

[1]) DRUMAN, Gesch. Roms. II. p. 47.

Sic CICERO scribit v. c. pro Sest. 33 § 71 sqq. de iis, qui magistratibus functi sunt, quum ipse ab exilio revocatus est: „ineunt „magistratum tribuni plebis" et paullo post: „veniunt Kal. Ianuariae; „quae virtus, actio, gravitas P. LENTULI consulis fuerit cett."

Luculentius hoc etiam indicatur a CICERONE in oratione in Rull. II. 5 § 11 sq. „itaque ut mihi designato consuli nuntiabatur, legem „agrariam tribunos pl. designatos conscribere, cupiebam quid cogi„tarent cognoscere" et § 13. „ineunt tandem magistratum tribuni „plebis; lex initio nulla proponitur. Aliquando tamen, me designato, „(i. e. antequam consulatum iniissem) lex in publicum proponitur."

Hanc ipsam legem ante Kal. Ian. iam esse propositam inde apparet quod CIC. primo consulatus die eam dissuaserit. CIC. in Rull. I. in Pis. 2 § 4.

[2]) LIV. Ep. 69. VAL. MAX. IX. 7. § 3. FLOR. III. 16, qui eum ANNIUM nominat. SEXT. AUR. VICT. de V. I. 73.

Ex hoc et ex permultis aliis locis apparere potest quam fuerit populus Romanus ab antiquis illis barbatis diversus quum orbis terrarum dominationem et Asiae vitia assumsisset.

Tribunatu non minus violenter gesto, quam petierat SATURNINUS iterum illum honorem petere in animum induxit [1]) a. u. c. 653. a. C. 101. Factus est iterum

---

[1]) Animadvertendus est h. l. satis gravis error DRUMANNI op. l. II. p. 39. scribentis SATURNINUM tertium esse tribunum pl. creatum. Quo nihil minus verum. Quod mox demonstrabo, quum prius indicavero, unde ortus sit DRUMANNI error, quem cum plurimis habet communem. — Scilicet recte observat D. censorem METELLUM notasse SATURNINUM in tr. pl. igitur fine a. u. c. 652. a. C. 102. vel initio a. u. c. 653. quoniam diversis temporibus magistratum inirent tribuni ac ceteri. Primus tribunatus cadit in MARII consulatum V; igitur in a. 653. a C. 101. Quod inde demonstro: MARIUS IV consulatum absens accepit; absensque gessit (LIV. Ep. 68. cf. FISCHER a. u. c. 654.) Postquam reversus esset creatus est SATURNINUS. VAL. MAX. IX. 7. § 1. (quod legitur eo loco: „adversus leges L. EQUITIUS cum SATURNINO „petebat" referendum est ad solum L. EQUITIUM, qui GRACCHORUM familiam mentiebatur, qui a MARIO puniebatur. VAL. MAX l. l.) Anno sequenti 654 iterum tr. pl. creatus Saturninus inque magistratu interfectus. — Habemus igitur L. SATURNINUM tr. pl. a. u. c. 652—653. ex a. d. IV Id. Dec. exinde ad a. d. IV. Id. Dec. 654. (PS. ASC. male scribit ad CIC. VERR. I. 10. § 30. tr. pl. inire magistratum Non. Dec.) sed antequam magistratu perfunctus fuerat interfectus est. Bis igitur gessit tribunatum [a. u. c. 652, 53, 54] et apparet unde error natus sit. Addam huius rei in fidem luculentum testimonium et tunc rem missam faciam. — Scribit CICERO p. Sest. 16 § 37. „Quid „enim simile fuit in Q. METELLO? erat ei res cum exercitu C. MARII „invicto; habebat inimicum C. MARIUM, conservatorem patriae, (CICERO semper laudat MARIUM, cuius studiosos pessime oderat, quoniam MARIUS Arpinas fuit. NIEBÜHR Vorträge. II. 6 p. 324) „*sextum* iam illum *con*„*sulatum* gerentem; res erat cum L. SATURNINO iterum tr. pl." Sextum consulatum gessit MARIUS cum L. VALERIO FLACCO a. u. c. 654. vide fastos cons. et FISCHERUM ad h. a. — At iis consulibus iterum tribunatum quum gessit L. SATURNINUS interfectus est, ut idem CICERO saepius scribit v. c. in Bruto 62 § 224. „is praetor (GLAUCIA) eodem

tr. pl. per vim; eodem tempore consulatum petiit C. MARIUS et is, cui V[us] consulatus absenti fuerat datus, sextum emere debuit; certe si fides habenda est maior PLUTARCHO, quam VELLEIO PATERCULO. Hic enim scribit [1]) „sextus consulatus veluti praemium ei (MARIO) „meritorum datus." At si auctores qui scribunt et tempora quibus petiit MARIUS et quo competitore petiit cogitamus, non miramur eum, ut iam tunc usu recipi coeptum est, emisse honores, quod PLUTARCHUS scribit [2])

„die, quo SATURNINUS tr. pl. MARIO et FLACCO coss. publice est inter„fectus" idem testatur CIC. Phil. VIII. 5. § 15. Cat. I. 2. § 4. At quid opus est pluribus in re luce clariore? Vide PS. ASC. p. OR. 136. In DRUMANNI sententiam pedibus it PIGH. A. III. p. 175. tertium fuisse tr. pl. creatum SATURNINUM et sic addit: „in hunc modum de„signatis tribunis atque aedilibus pl. cum comitia haberentur consu„laria." — Sequitur enim APP. B. C. I. 32. scribentem: *καὶ ὁ Ἀπουλήϊος ἐπ' αὐτῷ τρίτον ἐδημάρχει καί τις αὐτῷ συνῆρχε δραπέτης εἶναι νομιζόμενος Γράκχον ἐπιγράφων.*

Ibi legitur non de designatis tr. pl. sed de iis, qui magistratus iam erant. Mox sequitur consularia habita fuisse comitia *προτεθείσης δὲ ὑπάτων χειροτονίας κτέ.*

Contra me pugnat igitur APPIANI auctoritas, quam tamen nullam esse constabit si demonstravero, comitia tributa haberi post comitia centuriata. Quod de aedilitate plebeia iam constat ex loco PLUT. Mar. quem laudavi p. 68.

WUNDERUS de com. aedil. in prol. ad Planc. p. LXXXIII. ubi legitur MARIUM postquam repulsam tulisset in petitione aedilitatis curulis statim transiisse ad petendam aedilitatem plebeiam. Cui addam locum LIVIANUM, ubi diserte legitur creatos esse aediles plebeios post aediles curules, post praetores, post consules. LIV. XXXIII. 42. [cf. CIC. ad Fam. VIII. 4.] Quod v. c. luculenter apparet etiam et CICERONIS Epistolis ad Fam. VII. 30, ubi CAESAR consul (vide MANUT. ad h. l.) auspicatus erat comitiis tributis, habuit tamen centuriata, quoniam interea alter consulum erat mortuus; (cf. ad hanc epist. MANUTII commentarium). Denique CICERO qui multa habet de SATURNINI tribunatu, nunquam dicit eum *tertium* fuisse designatum.

[1]) VELL. PAT. II. 12.

[2]) PLUT. Mar. 28.

dubitanter admodum. Erat MARII competitor Q. CAECILIUS METELLUS NUMIDICUS, quem omni modo e civitate tollere cupiebat, quodque tandem opera SATURNINI et GLAUCIAE ei successit. RUTILIUS RUFUS τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστὸς ·ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς (privatim inimicitias exercuit cum MARIO) ut scribit PLUT. l. l. ἱστορεῖ MARIUM, ut caperet VI^{um} consulatum multam pecuniam pronuntiasse ut METELLUM deiiceret honore et collegam, vel potius asseclam, sibi haberet VALERIUM FLACCUM. Ceteroquin dubitandum non est de auctoritate RUTILII, qui ex omnium Romanorum testimonio alter erat ARISTIDES, exemplar innocentiae [1]) inique damnatus ab Equitibus, quorum fraudibus in provincia obviam ierat [2]). Cui RUTILII testimonio accedat LIVIUS testis non spernendus, qui scribit [3]) „profecto C. MARIUS seditionis auctor, qui sextum consulatum „per tribus sparsa pecunia emerat."

Vehementius quam par est SENECA [4]) invehitur in MARII ambitionem, quum scribit: „Quid tu C. MARIUM „semel consulem (unum enim consulatum accepit, ce„teros rapuit) „tot pericula putas appetisse virtutis in„stinctu?" cett. Ad quem locum LIPSIUS vere annotat: „profecto non videri si duos ultimos excipias. Priores „enim absenti esse delatos." Primum consulatum eum accepisse nobilitate fusa per legem Mamiliam indicat SALLUSTIUS [5]). Quid ea lege cautum fuerit idem docet [6]),

---

1) VELL. PAT. II. 12. CIC. passim.
2) CIC. in Caec. Div. 17 § 57. PS. ASC. p. OR. 122.
3) LIV. Ep. 69.
4) SENEC. Ep. 94. p. LIPS. 597. a.
5) SALL. Bell. Iug. 65.
6) Ibid. c. 40.

quod idcirco moneo, quoniam etiam ex h. l. disci potest, quam essent Romani principes pessumdati, quam tota esset civitas corrupta atque divitiarum cupido quanta exarsisset. Tulit enim C. MAMILIUS LIMETANUS [1]) rogationem ad populum: „ut quaereretur in eos, quorum „consilio IUGURTHA Senati decreta neglexisset, quique „ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepis-„sent" (legationes et imperia soli obtinent Senatores, homines ex amplissimo ordine). Index legum ORELLII suppeditat exempla nobilissimorum Senatorum lege Mamilia damnatorum unde demonstrari potest quam recte SALLUSTIUS misere queratur de potentia Iugurthinae pecuniae, quamque vere hic iam tunc temporis exclamare potuerit: „o urbem venalem et mature perituram, si „emtorem invenerit" [2]). Vidimus de ambitu, de vi, adhibitis a Marianis ut honores sibi compararent. Ne quis tamen in animum inducat optimates in ea re quievisse: hoc certum est atque constat ab utraque parte ambitum exerceri, si de una factione constat eam ambitum committere. Habent haec tempora unde quis diiudicare possit ea, quae posteriore historia secuta sunt.

Quam fuerint pecuniae cupidi et facile corrumpendi Senatores, vidimus in Iugurthae historia; quam dediti ad honores emendos SULLAE exemplum indicabit, qui auctore PLUTARCHO [3]) postquam priore petitione praeturae repulsam tulisset, secunda petitione anno post partim blandimentis partim largitionibus effecit ut crearetur. Unde dictum CAESARIS a PLUTARCHO profertur qui, quum

---

1) HAZENBERG, de C. MARIO (filio) p. 15 sq.
2) SALL. Bell. Iug. 35.
3) PLUT. Sulla 5.

SULLA dixisset se sua in illum usurum potestate ὡσ χρήσεται τῇ ἰδίᾳ πρὸς αὐτὸν ἐξουσίᾳ ridens respondisse fertur: ὀρθῶς (ἔφη) τὴν ἀρχὴν ἰδίαν νομίζεις· ἔχεις γὰρ αὐτὴν πριάμενος [1]).

Magistratus igitur eo tempore emi solitos satis apparet. At luculentius hoc erit, quum apposuero nonnulla de ambitu iudicia, quae his temporibus acta sunt. Mihi innotuerunt ambitus iudicia quae sequuntur [2]):

1. MARII [3]).
2. P. RUTILII RUFI.
3. M. AEMILII SCAURI.

RUTILIUS repulsam quum tulisset accusavit designatum SCAURUM; at hic absolutus petiit RUFUM [4]), qui quamvis nesciam fueritne absolutus necne tamen non multo post [5]) consul erat. Actae sunt illae causae a. u. c. 638. a. C. 116. non anno 646. a. C. 108. ut scribit REIN [6]).

Alter locus est de RUTILII et AEMILII iudiciis lepidissimus, quem miror ab auctoribus non laudari [7]) ubi

1) Amabant Romani tales iocos, quos *dicta* appellabant. CICERO praesertim iis utebatur; exemplo esto Ep. ad Att. I. 16 § 10. MACR. Sat. II. 3. nihil continet nisi CICERONIS iocos; qui praecipue in verbis ludere amabat. cf. Ep. ad Fam. VII. 30. Phil. II. passim. Sic librum *bene dictorum* (bons mots) memoratur A. CASCELLII; vide BACHIUM Hist. Iurispr. p. 266 (ed. 6ae) § 49 n. 0. Ille liber benedictorum CASCELLII exstabat POMPONII tempore, l. 2 § 45 ff. *de Orig. iuris*. Continebat Icti responsa faceta et urbana. Vide omnino auctores laudatos a WEICHERT. Poet. Lat. Reliquiae p. 115. n°. 19.

2) Cf. REIN, qui op. l. p. 727 haec satis diligenter collegit.

3) Vide supra p. 68, 69.

4) CIC. Brut. 30. § 113.

5) Vide infra p. 77.

6) REIN. op. l. 727. cf. Fasti consul. ad h. annum.

7) CIC. de Or. II. 69 § 280.

haec leguntur: „movent illa etiam, quae coniectura „explanantur longe aliter atque sunt; sed acute et „concinne: ut cum SCAURUS accusaret RUTILIUM ambitus, cum ipse consul esset factus, ille repulsam „tulisset, et in eius tabulis ostenderet litteras *A. F.* „*P. R.* idque diceret *Actum Fide* P. RUTILII; RUTILIUS „autem:" *Ante Factum*, *Post Relatum*: „C. CANIUS eques „Romanus cum RUFO adesset exclamat neutrum illis „litteris declarari." Quid ergo," inquit SCAURUS; „AEMILIUS „*Fecit*, *Plectitur* RUTILIUS."

In iudiciis enim (de ambitu praesertim, aeque in pecuniis repetundis) res versatur in tabulis et testibus. Tabulae tunc proferuntur accepti et expensi. AEMILIUS SCAURUS absolutus petiit RUTILIUM, inspectisque eius tabulis invenit caput sic inscriptum A. F. P. R. Quod ita interpretabatur ac si esset obscuris litteris inscriptum a RUTILIO de pecunia per tribus dividenda a divisoribus, sequestribus, cett. fide RUTILII sumpta. At ille dixit se idcirco illud caput inscripsisse, quod esset de expensis antea factis, sed paullo post in tabulas relatis; utebantur enim patresfam. *adversariis* [1]), in quae singulorum mensium accepta et expensa referebant; deinde ordine in ipsas tabulas retulerunt id certe ii, qui diligentes erant in re familiari, in quorum numero sine dubio RUTILIUS erat. Dicebat igitur SCAURUS ad invidiam augendam RUTILII, *Actum Fide* P. RUTILII. Unus ex advocatis RUTILII statim exclamabat; „declarari illis litterulis AEMILIUS *Fecit*, *Plectitur* RUTILIUS"

---

[1]) Cf. de adversariis et de tabulis accepti et expensi CICER. Oratio pr. Rosc. Com. passim.

i. e. quamvis AEMILIUS commiserit ambitum, tamen RUTILIUS in iudicium est vocatus [1]).

Videtur hoc l. notandum esse, quam parum sibi constet REIN [2]). Scribit lege Cornelia Fulvia (lata a. u. c. 595. a. C. 159) esse sancitum ut ex illa lege damnati per x annos magistratuum petitione abstinerent et nunc scribit de RUTILIO, eum esse absolutum, quod paullo post consul fuerit. At ille consulatum iterum petiit x annis postea [3]). [De absolutione igitur nil confici ex his locis potest].

4. M. ANTONII ORATORIS:

a. u. c. 657. a C. 97 accusante M. DURONIO. Ipse pro se dixit [4]). M. ANTONIUS et collega L. FLACCUS, DURONIUM senatu moverunt. ANTONIUS igitur damnatus non est, magistratu enim fungentem accusare non licebat. ANTONIUS illatam sibi iniuriam [5]) ultus est. Cur Senatu motus sit DURONIUS legitur apud VALERIUM MAX [5]).

5. TIB. GUTTAE:

6. P. POPILII:

qui damnati sunt, sed postea in integrum restituti legis praemio, *ante legem Calpurniam* [6]) introducto.

7. L. CALPURNII PISONIS:

eiusdem, qui legem tulit de ambitu *ἀναγκασθεὶς ὑπὸ*

---

1) Vide de tabulis expensi et accepti BEIERUM Excurs. II. ad CIC. libros de Offic. t. II. p. 432., qui excursus inscribitur de *Litterarum obligatione*, de quarum vi in iudiciis vid. GEIB. p. 143 sq.

2) REIN. op. l. p. 708.

3) Fasti Cons. a. u. c. 648. a C. 106. nam 649 consul erat.

4) CIC. de Or. II. 68 § 275. Ad hanc causam etiam referenda videntur, quae leguntur ibid. 64 § 257.

5) VAL. MAX. II. 9 § 5. MEYERUS fr. Or. p. 143.

6) Vide infra ad legem Calpurniam.

τῆς γερουσίας [1]). Consulatum enim adeptus erat aequo ac M. ACILIUS GLABRIO διασπουδάσαντες (ambitu); ita ut PISONI dies fuerit dictus: causam tamen non dixit; cur ita evaserit DIO CASSIUS memorat, nam scribit: καὶ πρὸς ἑνὸς καὶ πρὸς ἑτέρου τινὸς ἐξεπράξατο [2]) τὸ μὴ κατηγορηθῆναι, quod cur REIMARUS reddiderit ac si *intercessione* cuiusdam fuerit liberatus, non video.

8. P. SESTII:

is praetor designatus ambitus est damnatus a T. IUNIO; quo anno non satis liquet, sed reiicienda est opinio FR. ELLENDTII [3]) putantis hunc esse patrem eius SESTII, quem CICERO defendit; quod satis arguitur hoc ipso loco CICERONIS [4]): „Parente P. SESTIUS natus est, homine ut „plerique meministis et sapiente et sancto et severo, „qui quum tr. pl. primus inter homines nobilissimos „temporibus optimis factus esset, reliquis honoribus non „tam uti voluit quam dignus haberi." Talia non dicuntur de ambitus damnato. Recte tamen ELLENDTIUS reiecit opinionem PIGHII, qui hanc causam dictam contendit ad a. u. c. 654. a. C. 100 [5]) quoniam obstant temporum rationes. Fuit enim, ut apparet ex ipso dialogo, T. IUNIUS ex oratoribus CICERONIS fere [6]) aequalibus.

Quae iudicia tractavi quatuor priora habita sunt ante

---

1) DIO CASSIUS XXXVI. 21.

2) [l. ἐξεπρίατο, i. e. accusationem pecunia redemit.]

3) ELLENDT ad Cic. Brut. 48 § 180.

4) CIC. p. Sest. 3 § 6.

5) PIGH. ann. a. u. c. 653.

6) Cf. p. 5. ELLENDTII in summario Bruti repetito ex SCHUTZII editione.

SULLAM: quatuor posteriora vero post SULLAM, sed ante legem Calpurniam [1]).

Quum iam ambitum furentem tractaverimus, videndum est de iis, quae supra sub litteris B et C indicavimus.

B. *Lex Gabinia Tabellaria.*

A. U. C. 615. A. C. 139.

Quod si quis cupiat recte atque ordine historicam instituere disquisitionem de ambitu apud Romanos, non satis est ut accurate leges enumeret atque de harum tempore sententiaque disputet, sed etiam illud videndum est, quid res ab argumento fere alienae effecerint, vel potius quomodo malum per temporis diuturnitatem quoquomodo et qualibet ratione latius serpere coeperit. Animadvertendae sunt omnes in Rep. mutationes, quae aliquantulum vel ex longinquo cum ipso negotio coniungi posse censeantur. Quarum rerum e numero quod ad crimen ambitus attinet certe est lex Gabinia Tabellaria [2]), qua cautum a. u. c. 615. a. C. 139. „ut in „magistratibus creandis, non voce cives sed tabellis „uterentur". Perpauca apud ipsos antiquos exstant de lege Gabinia tabellaria deque suffragandi ratione per vocem vel per tabellas. Solus TULLIUS [3]) de ea re ratiocinatur.

Potest de ea re ut mihi videtur in diversas partes

---

[1]) De his temporibus NIEBÜHR, Vortr. II. p. 315: „es war damals „schon ganz allgemein dass wer sich um eine Stelle bewarb Geld „spendete, aber jeden klagte doch seinen Gegner dar auf an um „ihm zu verdrängen."

[2]) Ad hanc legem illustrandam multum valet PLIN. Ep. III. 20. vide etiam BACHIUM de Legg. TRAIANI. p. 7. sqq.

[3]) Praesertim de Legg. III. c. 14 sqq.

disputari; nempe quid effectum sit lege Gabinia tabellaria, (nam hac basi nititur tota TULLII disputatio) [1]) vel quid legislator sibi voluerit. TULLIUS sic de lege Gabinia: „auctoritatem optimatium lex tabellaria ab„stulit [2]); quam populus liber nunquam desideravit „idem oppressus dominatu ac potentia principum efflagitavit."

Non is sum, qui suscipiam GABINII aliorumque causam contra hanc CICERONIS criminationem; ad propositum nostrum nihil faceret; sed dicam paucis meam sententiam de consilio, quo haec lex lata sit. Populus oppressus potentia eam legem flagitabat; libere igitur volebat suam sententiam declarare et postulabat legem tabellariam quae optimatium vel potius potentium vim comprimeret eo modo, ut mox latius aliquis idem principium protulit, ferens: „ne quis tabellam inspiciat [3])."

Antea enim voce, (quod APPIANUS et ceteri Graeci *χειροτονίαν* dicunt), voluntatem suam declarabant, quod etiam postea de se factum esse CICERO gloriatur [4]). Tunc certe maiores fraudes admitti poterant, quam per tabellas, per quas liberior fit suffragii latio. Nata esse postea multa incommoda ex hac lege, natas esse multas fraudes, non negabo; lubens confiteor; sed non ad fraudem, at contra ambitum lex mihi lata videtur. CICERO solus legis Gabiniae mentionem facit his verbis: [5]) „sunt enim quatuor leges tabellariae; quarum

---

1) MONTESQUIEU hanc legem Gabiniam reprehendit. Esprit d. L. II. 2.

2) CIC. de Legg. III. 15 § 34. Distinguendae tamen sunt apud CIC. diversae personae, quae de hac lege sermones caedunt. Vide ad h. l. MOSERUM in ed. a. 1824. Francf. ad M.

3) CIC. de Legg. III. 17 § 38.

4) CIC. in Rull. II. 2 § 4.

5) CIC. de Legg. III. 16. § 35.

„prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, „lata ab homine ignoto et sordido." —— „videtis [1]) „in tabella, iam ante quanta facta sit labes — primo „Gabinia lege" cett.

Apte h. l. potest exponi quomodo suffragia tulerint Romani. Dabantur tabellae in comitiis, non domo eas afferebant Quirites [2]). „Piso consul lator rogationis „idem erat dissuasor; operae Clodianae pontes occupa-„rant, tabellae ministrabantur ita ut nulla daretur: „uti rogas."

Videntur tabellae datae pontes transgredientibus quod firmatur nummo quodam gentis Siliae, quem descripsit GÖTTLING [3]), qui sic scribit: „in magistratibus creandis „tot dabantur tabellae, quot erant candidati." [4]) unde iure videretur aliquis conficere posse, neminem candidatum esse posse, vel nullius haberi posse rationem, quam qui apud magistratum professus fuisset. Erant illae tabellae insignitae litteris prioribus uniuscuiusque [5]) ita ut fraudes impudentissime possent committi ab eo, qui comitiis praeërat. Inde explicanda sunt verba CICERONIS: [6]) „Quaero abs te teneasne memo-

---

1) CIC. de Amic. 12. § 41.

2) CIC. ad Att. I. 9. WUNDERUS, *Variae lectiones* p. CXLVIII.

3) GÖTTLING op. l. p. 393. n. 8.

4) Ipsi Quirites eas tabellas inscribebant ut apud Graecos etiam moris fuit (notum est enim quid Aristidi acciderit quum de suo ostracismo agebatur). PLIN. Ep. IV. 25. PLUT. Cato Min. 46. WUNDERUS qui explicit in magistratuum creatione addi non U. R. sed creandorum nomen. *Var. Lect.* p. CXLVIII. vide notam seq.

5) Non fieri magistratuum creationem per tabellas U. R. et A. recte demonstrat FERRAT. Ep. III. 4, nisi si sermo esset de consule nominatim creando ut v. c. factum est in DOLABELLA, CAESARI quum sufficiebatur.

6) CIC. in Vat. 5 § 11.

„ria, te vix invitis omnibus, non populi beneficio, sed „consulis extremum adhaesisse" ut etiam FERRATIUS l. l. „optime explicuit; is (APPIUS CLAUDIUS) posse se inversa „aedilitate a L. PISONE consule, praetorem renuntiari, „si modo eadem prima littera competitorem habuisset „aliquem." [1]).

C. *Lex Maria.*

A. U. C. 635. A. C. 119.

C. MARIUS tr. pl. a. u. c. 635 a. C. 119 legem tulit, qua pontes fecit angustos [2]). Legem esse latam eo anno, quo dixi, apparet ex PLUTARCHO [3]) ubi COTTA consul memoratur; nam de METELLO ex eo loco nihil potest certi confici [4]). Lata lex est invito Senatu.

Nec quisquam erit, qui neget ERNESTI opinionem esse veram scribentis eam legem ambitum coercere et libertatem suffragii ferendi augere, nempe si proposito satisfecisset [5]).

Fortasse haec lex etiam continebat praecepta de tabella non inspicienda, cui opinioni CICERONIS locus de Legg. l. non repugnat: quum ceteroquin eae leges sine dubio arcte cohaereant. Hoc potius crederem, quam REINII amplecterer opinionem [6]). Lex enim non lata est ne servi suffragia ferrent, quoniam de servo apud PLUTARCHUM l. l. sermo est; possent enim deinceps servi ordine ferre suffragia dummodo tabellas nacti atque admissi essent

1) CIC. p. Domo 43. § 112.

2) CIC. de Legg. III. 17. § 38. PLUT. Mar. 4, 5.

3) PLUT. Mar. l. l.

4) Vide tamen Fast. Cons.

5) PLUTARCHUS scribit *περὶ ψηφοφορίας γράφοντος αὐτοῦ Μαρίου νόμον τινὰ δοκοῦντα τῶν δυνατῶν ἀφαιρεῖσθαι τὴν περὶ τὰς αἱρέσεις ἰσχύν.*

6) REIN. op. l. p. 709.

in comitia; sed cautum erat ne committeretur fraus, magna hominum congregatione apud cistas. Nec admittenda videtur altera REINII opinio [1]) putantis hanc demum fuisse illam ordinariam de ambitu quaestionem. Cuius rei haec affert argumenta:

Primo, quod mirum sibi accidat nil aliud esse ea lege statutum.

Secundo, quod statim post hanc legem mentio fiat iudiciorum de ambitu.

Quod ad primum, exinde nil demonstrari potest, nam alto premuntur haec auctorum classicorum silentio, deficientibus omnium testimoniis et indiciis nisi quod PLUTARCHUS dicit legem fuisse περὶ ψηφοφορίας (quod longe aliud quid, quam lex de ambitu proprie dicto) quodque CICERO per vocc. „lex Maria pontes angustos fecit" [2]) enuntiat. [Erat igitur de modo suffragii ferendi].

Quod ad secundum attinet, non potest aliquis iure conficere legem latam esse de iudiciis de ambitu hoc argumento quod eo tempore, de ea re fuerit quaesitum, nam eodem iure tunc hoc quoque statui posset de damnatione Q. COPONII [3]).

CAPUT II.

A TEMPORIBUS SULLANIS, USQUE AD PRINCIPATUM AUGUSTI.
AB A. C. U. 673 — A. U. C. 724.

Venimus ad ea tempora de quibus permulta eaque meliora veterum testimonia ad nos pervenerunt. In his

---

1) Idem quod REINIUS scribit, etiam habet BOUCHAUD disp. I. p. 407 sq.
2) CIC. de Legg. III. 17. § 38.
3) Vide supra p. 67.

testimoniis tractandis historia duce omnia exponemus, quae ad ambitum facere posse videntur et sic primum dicemus:

§ 1.

De ambitus indiciis ante legem C. CORNELII.

SULLA anno post dictaturam consulatum gessit [1]) cum CAECILIO METELLO PIO. Omnia ut etiam anno seq. gerebantur ad nutum Dictatoris, ὃς ἐς ὑπόκρισιν σχῆμα δημοκρατικῆς ἀρχῆς ὑπέστη. [2]) At anno u. c. 676. a. C. 78. (quo mortuus est SULLA) iam tumultus orti inter consules LEPIDUM et CATULUM, diversae quum essent factionis [3]), indicabant τι κακὸν ἕτερον ἐκ τοῦδε γενησόμενον· Paullulum tamen res quieverunt ob bellum gravissimum Sertorianum, ad quod missus erat POMPEIUS homo privatus non *pro consule*, sed *pro consulibus* [4]). Altercationes nonnullae ortae sunt de trib. potestate restituenda (erat enim valde a SULLA imminuta) a CN. LICINIO [5]). Bellum cum MITHRIDATE Quiritium studia satis consumpsit, magistratusque non valde curasse hoc tempore videntur.

At sublato SERTORIO, finito bello cum SPARTACO, rem bene gerente LUCULLO contra MITHRIDATEM apertius apparebat, quomodo vitiis suis indulgeret populus, qui liberatus foeda servitute grassabatur in libertate scilicet sua, mox iterum amittenda.

---

1) Vide Fast. cons. ad h. a.
2) APP. B. C. I. 103.
3) APP. B. C. I. 105. PLUT. Sulla 34.
4) CIC. de Imper. CN. POMP. 21. § 62. Phil. XI. 8.
5) CIC. Brut. 61. ZACHARIÄ op. l. T. II. p. 12 sqq.

Invenimus pessimi ambitus mentionem apud CICERONEM in Verrem [1]) quum CICERO ipse petebat aedilitatem. Quae petitio tam cohaeret cum nonnullis quaestionibus ad ambitum pertinentibus, ut eam paullo accuratius sim pertracturus. Et primum in censum venit, quo quidem anno petierit CICERO aedilitatis honorem a P. R.? eodem anno, quo HORTENSIUS consulatum petiit atque adeptus est. Igitur a. u. c. 685. a. C. 69. quum HORTENSIUS consul erat CICERO est aedilitate functus; annum agens aetatis XXXVI igitur petiit. Qui quum glorietur se omnes esse honores suo anno adeptum [2]), dubium esse non potest quo anno quaesturam gesserit nempe a. aetatis XXXI, quum tr. pl. non gessit a. aet. XXXIV ob metum legum Corneliarum, quae vehementiores erant in eos, qui tribunatu essent functi [3]).

Quaestura sua CICERO paraverat sibi viam ad reliquos honores certe ad aedilitatem; maximo erat in honore apud Siculos; optime prospexerat provinciae commodis, idque praesertim egerat in annonae caritate ut sibi devinciret plebeculae Romanae animos, quod narrat PLUTARCHUS [4]): ἀποδειχθεὶς δὲ ταμίας ἐν σιτοδείᾳ (quum annona ardebat, vel urebat, ut Romani loquuntur) καὶ λαχὼν Σικελίαν ἠνώχλησε τοῖς ἀνθρώποις ἐν ἀρχῇ.

---

1) CIC. in Verr. I. 8. § 23 sqq.

2) Sic etiam P. SCIPIO AFRICANUS anno suo XXXVI petiit aedilitatem, solutus legibus, consul tunc factus est. LIV. Ep. 50. VELL. PAT. I. 12. VALL. MAX. IV. 3 § 1. SEXT. AUR. de V. I. 58.

3) Vide tamen discrimen inter CORRADUM, Quaestura CICERONIS. p. 45. sq. et FABRICIUM in vita CICERONIS per annos digesta ad a. eius aet. 32. p. ORELL. 30 t. I. Onom. Tull. Non licebat enim ex lege Cornelia tribunis pl. ullum alium capere magistratum. — Asc. ad Orat. p. Corn. p. 78. CAES. de B. C. I. 5, 7. aliique quos laudat REIMARUS ad DIONEM CASSIUM. XXXVI. 21.

4) PLUT. vita Cic. 6.

σῖτον εἰς Ῥώμην ἀποστέλλειν ἀναγκαζόμενος. Ὕστερον δὲ τῆς ἐπιμελείας καὶ δικαιοσύνης καὶ πρᾳότητος αὐτοῦ πεῖραν λαμβάνοντες ὡς οὐδένα τῶν πώποθ' ἡγεμόνων ἐτίμησαν [1]).

Caussas suscepit defendendas, denique omnibus, quae per leges facere licebat, conatus est ut aedilitatem adipisceretur [2]). Quum honorem illum petebat dixit divinationem in CAECILIUM [3]); primam actionem in VERREM habuit aedilis designatus. Scribit enim: „a nobis mul„tos obsides habet P. R. quos ut incolumes conservare, „tueri, confirmare ac recuperare possimus omni ratione „erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus" cett. [4]). Erat ea accusatio VERRIS CICERONI magno auxilio in petitione; praeterea peragraverat Italiam, ambieratque agrestes eo modo, quo liceret [5]). VERRES interea cum amicis omnibus modis conatus est CICERONEM aedilitate deiicere. Quod, quomodo, quaque ratione immensa largitione efficere conatus sit, ipse CICERO scribit [6]). Si talia agebant Romani, ut aliquem honore, quem petebat, deiicerent, quomodo cogitamus eos fecisse si de suo amicorumve honore ageretur?

Intellexere Romani hisce vitiis esse occurrendum. Tulit igitur ad populum C. CORNELIUS tr. pl. de ambitu

---

1) CIC. p. Planc. 26 § 64. CIC. in Verr. II. V. 14. § 35. Saepius Cicero haec ipse prae se fert.

2) Quid ridiculi (γελοῖόν τι) ei acciderit Puteolis ex Sicilia revertenti et quomodo id primum illius ambitionem fregerit leg. ap. CIC. p. Planc. l. l. et PLUT. l. l.

3) CIC. in Caec. 22 § 72.

4) CIC. in Verr. I. 9 § 25, 26. II. V. 14. § 36; II. I. 5. § 14.

5) PLUT. Cic. 7.

6) CIC. in Verr. I. 8. § 22 sqq.

invitis patribus a. u. c. 687. a. C. 67 [1]). Lege ambitus enim soli fere tenebantur Senatores; nam post quaesturam veniebant in Senatum et ob quaesturam adipiscendam nemo, credo, immensas fecit largitiones. Quod soli fere tenerentur ea lege Senatores etiam intelligitur ex loco CICERONIS de quo infra [2]).

Ceteroquin aliae exstant leges C. CORNELII tr. pl. quibus, quid moliretur animo contra Patres conscriptos satis apparet. Nec mirum P. R. odisse tunc ordinem illum amplissimum, cui mox iudicia [3]) COTTA lege sua ademit; nam ex prima actione in VERREM luculenter planum est factum quam cupide illi iudicarent. Ex altera lege C. CORNELII quam tulit de modo, quo quis legibus solveretur, videmus quid potentiae sibi arrogarint Patres, ut mirum esse non possit, aliquanto graviorem eum tulisse legem de ambitu, quam Senatus repudiavit [4]). Sediam accuratius tractemus, quae nobis innotuerunt de lege C. CORNELII de ambitu.

§ 2.

Lex C. CORNELII.

A. U. C. 687. A. C. 67.

Legitur apud ASC. PED. [5]) „alias quoque complures „leges CORNELIUS promulgavit, quibus plerique [6]) colle-

[1]) Eodem anno tribunus pl. fuit C. CORNELIUS, quo consulatum gessit L. CALPURNIUS PISO, ASC. p. OR. 75.

[2]) CIC. p. Mur. 23 § 47. vide infra ad legem Tulliam.

[3]) Vide inter plures ASC. ad Cornel. p. OR. 67.

[4]) Leguntur ea, quae dixi de legibus C. CORNELII in argumento CICERON. orat. p. Corn. apud ASC. PED. p. ORELL. 56. sqq.

[5]) ASC. PED. p. OR. 62. 58 f.

[6]) [plerique l. plerisque. Unius enim intercessio sufficiebat, neque omnibus legibus CORNELII intercedebant collegae. vide v. c. ASC. p. ORELL. 58.]

„gae intercesserunt, per quas contentiones totus tribu-„natus eius peractus est." Ex harum numero erat lex quaedam de ambitu uti intelligitur ex verbis DIONIS CASSII [1]), qui dicit: gravissimas C. CORNELIUS tr. pl. [2]) sanxisse poenas consentiente populo in eos, qui ambitus fuissent convicti. Cuius legis tamen Patres auctores fieri recusabant, freti lege ab eodem CORNELIO lata vel potius repetita, quod antea in desuetudinem abiit; nempe patres debere legum fieri auctores *τὴν δὲ βουλὴν πάντως περὶ αὐτῶν προβουλεύειν* [3]); cum quo loco coniungenda sunt verba CICERONIS ab ASCONIO expedita [4]), ubi CICERO dicit IV esse modos quibus Senatus aliquid statuat more maiorum de legibus: idque *secundo*, quae lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri, quod v. c. fecerunt in legibus DRUSI Senatores, causam praetextentes eas esse contra auspicia latas. Cur legem CORNELII antiquarint Patres, DIO exposuit l. l. quippe quod atrocissimis propositis suppliciis, nemo facile reperiretur, qui reos damnaret, neque qui eos accusaret: *οὔτε τοὺς καταψηφιουμένους τῶν ὑπαιτίων, οὔτε τοὺς κατηγορήσοντας ἅτε καὶ ἀνηκέστων αὐτῶν ὄντων (τῶν πραγμάτων)*

---

1) DIO CASSIUS XXXVI. 20.

2) BOUCHAUD agens de severissima hac lege tribunicia scribit ambitum multum crevisse post tribunatum a POMPEIO restitutum. Cuius rei tamen nullum affert argumentum vid. op. l. p. 409. DIO CASSIUS XXXVII. 29. Restituit POMPEIUS tribuniciam potestatem a. u. c. 684. a. C. 70 quo anno consulatu functus est cum P. LICINIO CRASSO. LIV. Ep. 97. VELL. PAT. II. 30. ASC. p. OR. 75. PS. ASC. p. OR. 103. 147. cett. Cf. vero CIC. in Verr. I. 15. § 44. Quid insuper caverat SULLA, de iis, qui tr. pl. fuere. exposuerunt; WITTICH op. l. p. 58 sqq. VOCKESTAERT p. 113—118. BEAUFORT. Rép. Rom. I. p. 375. sq. SCHULZE, Volksvers. d. Römer. p. 125. nota.

3) DIO CASS. l. l.

4) ASC. p. OR. 68.

ῥᾳδίως εὑρίσκει. Quo cum loco comparanda sunt verba mutila quidem ASCONII PEDIANI [1]): „quare cum hunc „P. R. videret et cum a tr. pl. doceretur ...... nisi „poena accessisset in divisores exstinct ..... (*n*)ullo „modo posse; legem hanc CORNELII [2]) flagitabat, illam „(Calpurniam) quae ex Scto ferebatur repudiabat idque „iure ut docti sumus duorum consulum calamitate." Sermonem esse de lege CORNELII de ambitu non est quod dubitemus; indicat hoc tum illud: *in divisores*, si comparas cum iis, quae sequuntur, apud ASC. p. seq. de PISONE legem ferente per *divisorum* multitudinem e foro eiecto, tum illa oppositio legis CORNELII et legis ex Scto latae; denique mentio calamitatis duorum consulum designatorum [3]).

Plebem flagitasse legem CORNELII, repudiasse Calpurniam indicat id, quod supra diximus: in odio esse ordinem Senatorium; sed cur *iure* plebs flagitaverit legem CORNELII ex CICERONIS argumento non capio. Possunt haec quidem ita explicari ac si voluerit orator eam poenam ex lege Calpurnia non esse parem facinori, quod perpetraverunt SULLA et TORQUATUS, sed in CICERONIS verbis non est vulgo interpretatio tam alte repetenda. Quid tamen statuendum sit de hisce vocc. quae ita eduntur ex MADVIGII, summi viri coniectura, nescio, nec diiudicare ausim. Calpurnia erat enim severissime scripta [4]). Ex ea lege damnati sunt atque poenas dedere SULLA et TORQUATUS; cur igitur iure repudiarit P. R. eam legem Calpurniam ex cala-

---

[1]) Ibid. p. 74.
[2]) [CORNELII interpolatoris est.]
[3]) Vide infra p. 104.
[4]) CIC. p. Mur. 23. § 46.

mitate SULLAE et TORQUATI, mea quidem opinione non apparet. Porro conferenda sunt, quae CICERO dicit in Orat. in toga Candida [1]) „sed ego ea lege contentus „sum, qua duos consules designatos uno tempore dam- „nari vidimus." SIGONIUS suo Marte nulla addita causa fragmentum illud sic explevit: [2]) „cum ambitum vide- „ret P. R. et a tr. pl. doceretur, nisi poena accessisset „in divisores exstingui nullo modo posse" cett. Sed quis tali modi veram CICERONIS manum restitutam esse credet?

Aliam tulit legem CORNELIUS, quae contra ambitiosos fuit praetores et ad nostram quaestionem aliquid facit; nempe tulit, „etsi nemo repugnare ausus est multis „tamen invitis, ut praetores ex edictis suis perpetuis „ius dicerent, quae res cunctam gratiam *ambitiosis* „praetoribus, qui varie ius dicere solebant sustulit." [3]) Quomodo fecerint praetores in iure dicundo exstat apud DIONEM CASSIUM ex quo loco etiam apparere potest hanc legem latam multum profuisse iuris dictioni et ipsi iuri, nam mutabant multa praetores pro suo arbitrio *πολλάκις αὐτὰ μετέγραφον* idque *πρὸς χάριν ἢ καὶ κατ' ἔχθραν τινῶν.*

Quam vehementer ambirent eo tempore Romani inde potest colligi quod intra quinquennium VII leges contra ambitum latae sunt.

1. Lex C. CORNELII.
2. Lex Calpurnia Acilia. [4])

---

1) ASC. PED. ap. ORELL. p. 88 sq.
2) SIGON. de Iud. II. 30.
3) ASC. ad Cornel. p. OR. 58.
4) DIO CASSIUS XXXVI. 21.

3. Lex quaedam, qua derogaretur legi Calpurniac. [1])
4. Sctum factum L. CAESARE consule. [2])
5. Sctum [3]) vel lex Tullia de ambitu [4])
quibus iure addideris:
6. Legem Fabiam de numero sectatorum.
7. [Lex, cui intercessit Q. MUCIUS ORESTINUS. [5])]

Quod si verum est quod dicitur a BURCKHARDT V. Cl: „Man könnte falls man zu Vergleichungen geneigt wäre „das Kriminalgerichtswesen eines Volkes nicht ohne „Grund als den Pols betrachten, von dessen stärkern „oder schwachern, regelmässigem oder wildem Schlagen, „auf den jeweiligen Volkscharakter und den politischen „und moralischen Zustand des Gemeinwesens überhaupt „geschlossen werden dürfte" [6]) statuere possumus, quae tunc temporis iam fuerit conditio Reip. Rom. sub cuius ditionem fere orbis terrarum venerat et sponte succurrit illud nobile TACITI [7]) dictum: „corruptissima Republica „plurimae leges."

---

1) CIC. apud ASCON. p. OR. 68.

2) CIC. p. Mur. 34 § 70. vide infra p. 109.

3) [Scripsi *Sctum* vel *legem Tulliam;* utrumque nomen occurrit. Cf. de Lege Licinia, de qua etiam in Senatu actum est Cic. p. Pl. 15. § 36.]

4) DIO CASSIUS XXXVII. 29. Reiicienda est sententia BOUCHAUDII op. l. p. 412, qui confundit Sctum quo derogatum est legi Calpurniae (Asc. p. OR. 68) cum Scto facto ipso TULLIO referente. CIC. p. Mur. 32 § 67. Itidem fallitur MASCOVIUS, qui legem Tulliam et Sctum apud CIC. p. Mur. § 67. pro diversis legibus contra ambitum habet. p. 40. sq.

5) [Asc. p. OR. 83 85. 88. vid. infra p. 108 not. 3.]

6) A. BURCKHARDT op l. p. 1.

7) TAC. Ann. III. 27.

§ 3.

Lex Calpurnia.

A. U. C. 687. A. C. 67.

Quum lex CORNELII tr. pl. a populo flagitata Patribus visa esset gravior, quam quae perferretur, necesse tamen erat ut de ambitu novam quandam proponerent legem, qua pestis illa Reip. aliquantulum tolleretur. Negotium Patres mandaverunt L. CALPURNIO PISONI et M' ACILIO GLABRIONI consulibus. [1]) Quomodo hi ad summum honorem pervenerint supra iam apparuit, quum de PISONE dixi ambitus accusato.

Tulerunt igitur fere coacti et suae legis ipsi quasi rei. At tulerunt tamen satis severe ut ex permultis locis apparet. Qua de lege primo colligam auctorum testimonia, quibus, ut in legibus sequentibus, addam, qui ex singulis legibus fuerint petiti, ut accurate quid unaquaque lege cautum fuerit intelligere possimus. Legem fuisse severissimam CICERO scribit [2]), at parum posse ambitum ea lege restringi apparet ex permultis causis ex ea lege dictis apparetque praesertim ex eo quod brevi post ipse TULLIUS coactus fuerit, qui novam de ea re legem ferret. ASCONIUS PEDIANUS scribit in commentario ad orationem pro CORNELIO, habita a. u. c. 689 a. C. 65: „Tulerat eam ante biennium (Calpurniam „legem de ambitu) C. CALPURNIUS PISO consul in qua „praeter alias poenas pecuniaria quoque poena erat „adiecta." [3])

---

1) Diserte hoc scribit DIO CASSIUS XXXVI. 21.

2) CIC. p. Mur. 23. § 46.

3) ASC. p. OR. 68.

Ex hoc l. apparet quomodo soliti fuerint Romani leges ferre; si enim aliqua lex eluderetur puta v. c. legem sumptuariam quandam, novam legem ferebant contra sumtum, in qua nihil erat novi nisi quod supplerint id, quod deësse usu didicerant: hanc ob causam scribit ASCONIUS: „poenam pecuniariam quoque fuisse „adiectam."

Schol. Bob. sic scribit de lege CALPURNIA: [1])

„Lex CALPURNIA pecunia multavit et in perpetuum ho„noribus iussit carere damnatos. Habebant tamen facul„tatem Romae demorandi." De additamentis in legibus vel Sctis, posteriore lege argumento hoc esse potest: licuit enim damnatis ex lege CALPURNIA Romae demorari; ex lege Tullia non item: non licebat ex lege CALPURNIA Senatorem manere; ex lege Tullia exilio puniebantur Senatores.

DIO CASSIUS sic loquitur [2]): „ἐνομοθετήθη πρὸς αὐτῶν „τῶν ὑπάτων μήτε ἄρχειν, μήτε βουλεύειν σφῶν μηδένα, „ἀλλὰ καὶ χρήματα προσοφλισκάνειν.

Hos tres locos sic ordinavi [3]), quoniam alius alio plura contineat; nam quod Schol. Bob. dicit: „in per„petuum iussit honoribus carere damnatos nihil aliud est nisi hoc DIONIS: μήτε ἄρχειν. At ex DIONE appa-

---

[1]) Schol. Bob. p. OR. 361.

[2]) DIO CASSIUS XXXVI, 21.

[3]) In editione Encyclopaediae, quam curarunt ERSCH et GRÜBER legitur fragmentum quod invenitur apud NONIUM MARCELLUM voc. *priores:* (p. 290 ed. ROTH. et GERLACH. Basiliae 1842):

„CALPURNI saeva lege in PISONIS reprehendi
„eduxique animam in primoribus naris,"

accipiendum esse de lege ambitus a CALPURNIO lata. Quod si quid aliud falsissimum est. Vixit enim LUCILIUS longe antequam CALPURNIUS magistratum petere posset. Vide v. c. veterum testimonia de LUCILIO collecta in ed. HAVERKAMP. L. B. 1743. p. 171. sqq.

Haec ultima adscripsi quoniam videbantur stabilire opinionem meam mox enunciatam de τιμαῖς ὑπατικαῖς. Erat enim in honore apud Romanos ex superiore loco sententiam in Senatu dicere quod vel uno CICERONIS testimonio demonstrari potest qui scribit [1]) postquam molestias aedilitatis enumeraverat: „ob earum rerum „laborem et sollicitudinem fructus illos datos, *antiquio-„rem in senatu sententiae dicendae locum*, *togam prae-„textam*, *sellam curulem*" cett. [2]). Conficio, ut mihi videtur, iure, CICERONEM carpere his vocc. (in l. l. ex orat. p. Balbo) nescio quem, qui legis praemiis eam dignitatem fuerat consecutus, simulque oppositione illius hominis et BALBI qui praemium acceperat ex lege ambitus apparet praemium illud sententiae praetoriae esse ex alia quadam accusatione, quod et optime convenit cum iis, quae de loco DIONIS disputavimus [3]). Miror tamen adhuc neminem hosce CICERONIS (p. Balbo) et DIONIS locos comparasse, quo errores possunt tolli eorum, qui putent, apud DIONEM esse cogitandum de lege ambitûs. Praemium BALBI hoc igitur fuisse videtur quod tribui honestiori fuerit adscriptus, quod apud Romanos satis honorificum erat.

Alter locus CICERONIS hic est: [4]) „Quapropter hoc „BULBI iudicium non plus huic obesse caussae debet, „quam illa, quae commemorata sunt ab accusatore, „duo iudicia P. POPILII et TI. GUTTAE, qui caussam de „ambitu dixerunt; qui accusati sunt ab iis, qui erant

---

[1]) Cic. in Verr. II. V. 14. § 36. Cf. KLOTZ. CIC. Red. T. II. p. 816.
[2]) Cf. CIC. ad Q. fr. II. 1. p. Red. in Sen. 7 § 17. in PIS. 5. § 11.
[3]) DIO CASSIUS XXXVI. 23.
[4]) Cic. p. Cluent. 36 § 98.

„ipsi ambitus condemnati; quos ego non idcirco esse „arbitror in integrum restitutos, quod planum fecerint „illos ob eorum rem iudicandam pecuniam accepisse „sed quod iudicibus probaverint, quum in eodem ge„nere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent se „ad praemia legis venire oportere."

Indicabo h. l. antequam plura dicam, non profluxisse ea praemia ex lege Calpurnia de ambitu, quamvis hoc primo obtutu ita esse videatur:

α'. ex loco enim DIONIS et CICERONIS (p. Balbo), apparet diversis legibus praemia fuisse constituta;

β'. de iudicio illo, quo BALBUS pervenerit in Crustiminam praemio legis de ambitu, non apparet, quo tempore illud locum habuerit [1];

γ'. quodsi de iudicio BALBI non constat satis luculenter de iudicio POPILII et GUTTAE ostendi potest praemia fuisse data accusatoribus de ambitu ante legem Calpurniam [2].

Quod quum unusquisque mihi concedat necesse sit, qui rationem teneat orationis pro CLUENTIO tamen et alio argumento indicabo. Is locus in Cluentiana quem supra laudavimus totus versatur in indicando, CLUENTIO nocere non debere quod iudices iudicii Iuniani a censoribus fuerint notati vel quod in eos censores subscripserint. Agebatur illa causa Cluentiana cum sequelis suis iam per VIII annos continuos [3] (ab a. u. c. 680. a. C. 74. ad a. u. c. 688. a. C. 66); nam CICERO pro CLUENTIO dixit, cum ipse praetor, LEPIDUS et TULLIUS

---

[1]) Vide KLOTZ. in argumento Orat. p. Balbo T. III. p. 438. M. TULL. CICERO's Sammtl. Reden von KLOTZ. Leipzig 1835—1839.

[2]) Igitur ut videtur lege quadam SULLAE.

[3]) Vide FISCHERUM ad a. u. c. 688. a C. 66.

consules crant [1]) Censoribus vero GELLIO et LENTULO iudicium Iunianum iam peractum erat; nam ii subscripserunt in iudices pecunia corruptos nota et animadversione sua censoria [2]).

Notati sunt igitur a GELLIO et LENTULO censoribus a. u. c. 684. quod pecuniam acceperint ob rem iudicandam: id adversarii CLUENTII confundere volebant cum iudicio de ambitu in quo LENTULUS POPILIUM laudavit [3]). Lex Calpurnia lata est a. u. c. 687. Causam pro CLUENTIO CICERO dixit a. u. c. 688. [4]) Igitur si vera esset eorum opinio, qui statuunt praemia accusatores POPILII et GUTTAE accepisse ex lege Calpurnia necesse esset ut illa iudicia de ambitu fuissent habita eodem fere tempore, quo caussa Cluentiana ipsa; sed quis accusator cogitari potest, qui suam accusationem sic ipse perderet inepta criminatione, ut res misceret factas ante VIII vel minime V annos cum iis, quae sub ipsum iudicium Cluentianum accidissent? Ceteroquin illa iudicia ob pecuniam acceptam et de ambitu POPILII et GUTTAE in idem tempus incidisse satis indicatur hisce verbis CICERONIS [5]): „Quapropter neminem dubitare existimo, quin „illa damnatio ambitûs nulla ex parte cum causa CLUEN„TII vestroque iudicio coniuncta esse possit," [collatis cum iis, quae leguntur 47. § 132 ibid.]. Rem accuratius tractanti dubium esse nullo modo potest eam causam de ambitu actam esse ante legem Calpurniam et tamen

1) Cic. p. Cluent. 3 § 7.

2) Vid. v. c. Cic. p. Cluent. § 132.

3) Cic. p. Cluent. § 132. cf. § 98.

4) [Apparet igitur, inquit BOUCHAUD, praemia ea venisse ex lege Calpurnia; nam oratio pro Cluent. habita est, postquam ea lex lata erat. op. l. p. 410.]

5) Cic. p. Cluent. § 99.

ad unum omnes praemia iis adscribunt ex lege Calpurnia [1]).

Quod fuerit praemium POPILIO et GUTTAE accusatoribus concessum legitur apud CICERONEM [2]): „quod fue„rint in integrum restituti, eam ob causam, quod repre„hendissent alios in eodem genere in quo ipsi offendissent."

Operae pretium est videre quid REIN scripserit de his iudiciis. Damnatos esse POPILIUM et GUTTAM a. u. c. 680. a. C. 74. ultro idque bis fatetur [3]). Attamen [4]) ex loco Cluentianae conficit praemia accusatoribus fuisse data [5]) ex lege Calpurnia lata a. u. c. 687. a. C. 67.

§ 4.

Rei ambitus ex lege Calpurnia.

I. L. VARGUNTEIUS.

Cur eum reum putem ex lege Calpurnia paucis est dicendum, postquam dixerim mihi adhuc perspicuum nondum esse cur BAITERUS [6]) eum CICERONIS collegam in quaestura nominarit. Is enim AUTRONIUS erat ut apparet ex oratione pro SULLA. [7]) Unicum indicium de VARGUNTEIO accusato locus est CICERONIS; [8]) „quis

---

1) BOUCHAUD. op. l. p. 410. SCHADE. op l. p. 5. et alii.

2) CIC. p. Cluent. 36. § 98.

3) REIN. op. l. p. 655. n°. 3 et 4. p. 728. init.

4) Ibid. p. 711.

5) Immo mihi videtur recte confici posse praemia data fuisse ei, qui aliquem ambitus damnaverit, quo tempore CICERO aedilitatem petiit ex collatione locorum CICERONIS in Verr. II. II. 32. § 79 et p. Cl. 36 § 98.

6) Onom. Tull. vol. II. voc. VARGUNTEIUS.

7) CIC. p. Sulla. 6. § 18. Cf. PIGHIUS a. u. c. 678. a C. 75. (ex computatione PIGHII).

8) CIC. p. Sulla. 2 § 6.

„nostrum adfuit VARGUNTEIO? (nempe in causa de con-„iuratione Catilinaria) nemo; ne hic quidem Q. HOR-„TENSIUS praesertim, qui illum solum antea de ambitu „defendisset."

Habita est haec oratio pro SULLA L. MURENA et D. SILANO [1]) coss. Iam ex loco orationis pro SULLA l. apparet VARGUNTEIUM causam dixisse de coniuratione ante SULLAM; nemo ei adfuit; ne HORTENSIUS quidem, qui eum defenderit de ambitu. Cadit igitur causa illa de ambitu ante CICERONIS consulatum, i. e. ante legem Tulliam et temere facere mihi non videor si VARGUNTEII SULLAE, AUTRONII, qui omnes eiusdem factionis fuisse videntur, et h. l. invicem comparantur, causas de ambitu eodem fere tempore habitas esse censeo.

Dicitur hic L. VARGUNTEIUS, alter fuisse eorum, qui CICERONEM interficere conati sint. [2])

II. Q. GALLIUS.

Ambitus reus factus a M. CALIDIO. Permultis locis huius iudicii mentio fit, sed ambigitur inter auctores de anno quo habitum sit. DRUMAN enim putat GALLIUM causam dixisse a. u. c. 688. a. C. 66. [3]) ELLENDT [4]), ORELL [5]), REIN [6]), alii a. u. c. 690. a C. 64.

Cuius discriminis causa alia non esse videtur, quam quod ille maiorem fidem tribuat iis, quae leguntur apud Q. fratrem in libello de petitione consulatus [7]); ubi

---

[1]) DRUMAN, Gesch. Roms. II. p. 516. n. 77. LUZAC de Q. HORTENSIO ORATORE. p. 39. § 20.

[2]) SEB. CORRADI Quaestura p. 132. init.

[3]) DRUMAN, Gesch. Roms. V. p. 374 sq.

[4]) ELLENDT, Hist. Eloq. Rom. p. CIX.

[5]) CIC. fragm. t. IV. p. 454. p. 2ae ed. ORELL.

[6]) REIN. op. l. p. 728. n°. (**)

[7]) Q. fr. de petit. cons. c. 5.

dicit QUINTUS MARCUM fratrem magna sibi adiunxisse auxilia in petitione, quod GALLIUM aliosque defenderit; quum hi ASCONII potiorem habeant auctoritatem scribentis, ad fragmenta CICERONIS orationis in toga candida (igitur habita a. u. c. 690. a. C. 64.): [1]) „Alter „induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores „populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis „candidatus perspexit et legit et emit; praesente P. R. „factum est," ubi sic annotat ASCONIUS: „Q. GALLIUM, „quem postea reum ambitus defendit *significare videtur*. „Hic enim, quum esset praeturae candidatus quod in „aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non „habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo patri se id „dare." DRUMANNI sententiam omnino esse sequendam censeo. Auctoritas autem Q. CICERONIS hac in re certe multo potior esse debet, et est, quam ASCONII. Scripsit enim ille libellum de petitione consulatus quum frater petere instituerat, atque in illo libello GALLIUM enumerat l. l. inter eos, quos MARCUS eo biennio defenderat, id est sibi obligaverat.

ASCONIUS contra, quamquam CICERONIS historiae admodum gnarus, vixit primo saeculo post CHRISTUM sub NERONE et VESPASIANO; [2]) ei non esse eandem in hac re fidem habendam ac Q. fratri unusquisque mihi concedet.

Ceterum eos viros doctos rogatos velim, quando tandem CICERO GALLIUM defenderit a. u. c. 690. a. C. 64? Habuit orationem in toga candida paullo ante comitiorum dies. *Postea eum defendit de ambitu* ait ASCONIUS. Igitur non antequam creatus est consul; nam si nemo

---

[1]) ASC. PED. p. OR. 88.

[2]) Eum saepius memorat PLINIUS v. c. H. N. VII. 31 et alibi.

„iam ante comitia utrumque sustinere possit, immo „pauci unum" [1]) (nempe petitionem *consulatus* [2]) diligenter adornare et accusationem vel defensionem instruere) certe CICERO id non potuit paucis diebus ante comitia sua [3]). Fecitne CICERO post comitia sua i. e. postquam sibi GALLII amicorum suffragiis non amplius opus erat? Vix credo et pugnaret hoc etiam vehementissime cum Q. fratris testimonio l. l. Sed videamus, possimusne Q. fratrem cum ASCONIO, cumque illis viris doctis in concordiam reducere.

Q. GALLIUS praetor fuit a. u. c. 689. a. C. 65: in petitione praeturae dedit gladiatorium, sub titulo patri se id dare.

Veniam peto si rem pusillam fortasse tantis verbis tractem; quodque ut est in proverbio: fluctus excitem in simpulo, sed indicabo quam breve fieri possit ASCONIUM falli in nomine Q. GALLII, idque ex ipso ASCONII loco. Habetur illa oratio in toga candida contra CATILINAM et ANTONIUM. CICERO ut solet, magis quam par est in adversarios invehitur. „Alter, dicit, (ait) se quum „velit, subito fugitivorum bellum excitaturum." An„notat ASCONIUS: [4]) C. ANTONIUM *significat:*" Nunc CICERO idem fere crimen in CATILINAM iactat his verbis: „Alter induxit eum, quem potuit, ut repente „gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse

---

[1]) CIC. p. Mur. 22. § 46.

[2]) [Voc. *consulatus* h. l. delendum est. Loquitur CICERO in universo de petitione.]

[3]) Cf. porro, quae de petitione aedilitatis et VERRIS accusatione queritur TULLIUS. Verr. I. 9. § 24 sq.

[4]) Asc. apud ORELL. p. 68. t. V. p. 2.

„*consularis candidatus* perspexit et legit et emit" cett. Sine dubio indicatur CATILINA, sed non opus erat ut ASCONIUS hoc nos doceret. CATILINA primum quem potuit, rogavit, impulit ut gladiatores daret, eo consilio ut ipse familiam emeret, qua uteretur in comitiis vel si opus esset in bello. „At scribit ASCONIUS: GALLIUS „dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare." Hoc optime cohaeret cum superioribus; „polliceri populo „gladiatores non debitos;" sed dedit GALLIUS in petitione praeturae a. u. c. 688 a. C. 66. CATILINA tunc tamen non erat consularis candidatus nec poterat eum inducere ut gladiatores daret: nam teste, praeter alios, ipso ASCONIO, CATILINA tunc erat in Africa ex qua provincia quum rediisset reus factus est repetundarum TORQUATO et COTTA coss. i. e. eo anno quo GALLIUS praetor erat. Praeterea eo ipso anno, quo GALLIUS praetor erat, prohibitus est CATILINA petere consulatum, quod reus erat repetundarum [1]). Scripsit tamen ASCONIUS: Q. GALLIUM cett. Sed opus non est ut solliciti simus de nominis mutatione; nam apparet ASCONIUM nescire quem voluerit CICERO, idcirco is, qui semper accurate scribit: „*Manifestum* est C. VERREM significari; C. ANTONIUM „*significat;* legem Calpurniam *significat;* de ANTONIO dici „*manifestum* est [2]), dubitanter nostro loco dixit: „*videtur significare* Q. GALLIUM."

Et sic res composita esse mihi videtur [3]). Lege Cal-

---

1) SALL. Bell. Cat. 18. ASC. p. OR. 89. 90. ASC. p. OR. 89. 90.

2) Vide his ipsis pagg. apud OR. 89. 90.

3) Quod si verum est, per se concidit MASCOVII opinio, fuisse GALLIUM accusatum quod ludos dedisset (p. 32). Hoc enim erat vetitum lege Tullia.

purnia igitur etiam poena contra gladiatores esse constituta videtur. Accusatus est Q. GALLIUS a M. CALIDIO ad ulciscendas iniurias quod Q. GALLIUS Q. CALIDIUM damnasset [1]). GALLIUM in iudicio ambitus esse absolutum apparet tum ex Q. fratris loco de petit. Cons. tum quod a. u. c. 689. a. C. 65. praetor fuerit; nec est quod hoc conficiamus cum ELLENDTIO [2]) (sed quo iure?) ex verbis CICERONIS [3]); nam in eo loco nihil legitur quam CALIDIUM tam leniter et tam oscitanter de criminibus esse locutum ut rei patronus ei obiecerit: „tu istud, M. CALIDI, nisi „fingeres, ita ageres?"

III. P. CORNELIUS SULLA, IV. P. AUTRONIUS PAETUS,	(consules designati) damnati ambitus, non inierunt (magistratum). In eo(rum) l(ocum) f(acti) sunt: L. AURELIUS COTTA, P. MANLIUS TORQUATUS [4]).

Petierunt cum SULLA et AUTRONIO praesertim COTTA et TORQUATUS. Ex horum nominibus iam statim error ortus est, qui altos egit radices; quum nempe plerumque factum sit, in Rep. Romana ut ii de ambitu accusarent, qui repulsam tulissent; quum COTTA et TORQUATUS accusarent SULLAM et AUTRONIUM, quibus damnatis, in eorum locum facti sint, cogitatio multos subiit, quid tandem hoc esset et quomodo hoc esset explicandum. Inde nati errores qui plerumque suam originem refe-

---

1) CIC. Verr. I. 13. Ibid. PS. ASC. et CIC. p. Planc. 29. § 69, 70.
2) ELLENDT, Hist. Eloq. p. CVIII.
3) CIC. Brut. 79. § 274 sqq. Ceteroquin huius iudicii mentionem inveni apud VAL. MAX. VIII. 10. § 3. QUINCT. XI. 3. p. BURM. 1025. Vide SPALDING ad QUINCT. VIII. 3. p. 258 sqq. T. III. ed. Lips. 1808.
4) Fast. Cons. ad a. u. c. 689 a. C. 65.

runt ad hoc iudicium [1]). Quod ii, qui repulsam tulerant designatos accusabant per se intelligitur [2]). Quod illi si reos damnarant in eorum locum fiebant consules, ex ipsa natura rerum sequitur et miraremur si aliter eveniret. Sed non est dicendum id sequi ex legis de ambitu praemio ut saepius homines autumant. Quid enim stultius cogitari potest quam hoc praeceptum? Novis largitionibus novis fraudibus sic locus daretur, et qui frustra totum populum corrumpere conatus erat, paucos iudices ambiret, et minore largitione fortasse iudicia e Rep. tolleret ut sic summos adipisceretur honores. Quod quum iam per se intelligatur quam sit ineptum, falsum esse etiam apparet ex loco CICERONIS [3]) ubi legitur TORQUATUM *filium eius*, *qui repulsam tulerat*, damnasse SULLAM, adque patrem retulisse consulatus honorem [4]): „Quid enim te ipsum, dignissimum maio„ribus tuis, voluptasne induxit, ut adolescentulus P. SUL„LAE eriperes consulatum? Quem quum ad patrem „tuum retulisses fortissimum virum, qualis ille vel con-

---

[1]) Multi enim scribunt, necessario suffici in damnatorum locos, qui eos ambitus damnaverint. SCHADE op. l. 5. cf. BOUCHAUD op l. p. 410. [Quid igitur si post honorem gestum damnabantur ambitus?]

[2]) Hoc ita usu venit apud Romanos ut CICERO aculeum iecerit in POSTUMIUM subscriptorem in MURENAM; c. 27. § 57. „Respondebo „igitur POSTUMIO primum, qui nescio, quo pacto, mihi videtur *prae„torius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum cur„riculum incurrere.* Cuius competitores si nihil deliquerunt, dignitati „eorum concessit, quum petere destitit, sin autem eorum aliquis lar„gitus est, expetendus amicus est, qui alienam potius iniuriam quam „suam persequatur."

[3]) CIC. de Fin. II. 19 § 62.

[4]) [Vide etiam CIC. p. Sulla 17 § 48, 49, 50. 32 § 90.; pater subscripsisse videtur. Contrarium ponit ORELL. in Onom: Tull.]

„sul, vel civis quum semper tum post consulatum „fuit [1]).“

Alterum ex historia proferam argumentum quo perspici possit, quam sit illa ratiocinatio falsa. Quum enim MURENA ambitus agebatur reus a SERVIO SULPICIO CICERONIS defensio hoc argumento fere solo nitebatur: „communis interesse salutis ut duo essent consules in Rep. „Kal. Ianuariis“ [2]). Attamen SERVIUS SULPICIUS repulsam tulit, idemque accusavit; sed consul non esset factus idcirco quod MURENAM condemnasset [3]). Inepte enim tunc tota TULLII defensio illa fuisset [praesertim quum ipse in petitione, S. SULPICIO non MURENAE adfuisset] [4]). Conati sunt SULLA et AUTRONIUS amissum honorem vi et insidiis recuperare ut narrat DIO CASSIUS [5]): Πούπλιός τε γὰρ Παῖτος καὶ Κορνήλιος Σύλλας ἀδελφιδοῦς ἐκείνου τοῦ πάνυ Σύλλου ὕπατοί τε ἀποδειχθέντες καὶ δεκασμοῦ ἁλόντες ἐπεβούλευσαν τοὺς κατηγορήσαντας σφῶν Κότταν καὶ Τορκουάτον Λουκίους, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ αὐτοὶ ἀνθῃρέθησαν ἀποκτεῖναι [6]).

Quam faustum fuerit Reip. Rom. ut illi ab honore consulatus arcerentur non est quod dicam, praesertim in illis Reip. turbis, quum insuper uterque et praecipue AUTRONIUS non careret suspicionis coniurationis Ca-

---

1) [Ex hoc loco satis apparet, ipsum iam ASCONIUM hac in re errasse, quum scriberet p. ORELL. 74: „P. SULLAM et AUTRONIUM significat, quorum alterum L. COTTA, alterum L. TORQUATUS, ambitus damnarant et in eorum locum creati erant.]

2) CIC. p. Mur. 2 § 4. 37 § 79.

3) Luculentum etiam argumentum est in eiusdem orat. §§ 82, 83, 84. CIC. ad Fam. VIII. 4.

4) [CIC. p. Mur. 4 § 8 et saepius.]

5) DIO CASSIUS XXXVI. 27. Ex quo loco apparet DIONEM quoque errasse in patre et filio TORQUATIS confundendis.

6) Sic etiam CORTIUS ad SALL. Bell. Cat. 18.

tilinariae [1]). Conati sunt postea [2]) alii CICERONE consule SULLAM et TORQUATUM poena liberare, sed frustra. Fecerunt id tr. pl. praesertim L. CAECILIUS frater SULLAE sive uterinus sive adoptivus, qua lege non tollere sed levare SULLAE poenam volebant, ita ut iterum ei liceret magistratum capere et senator fieri [3]): ὁ δὲ τῷ Παίτῳ καὶ τῷ Πουπλίῳ καὶ τῷ Σύλλᾳ τῷ Κορνηλίῳ — τό τε βουλεύειν καὶ τὸ ἄρχειν ἐξεῖναι ἐδίδου [4]), quae verba optime cohaerent cum poena ex lege Calpurnia memorata [5]). Necessitudinem METELLUM inter et SULLAM exposuit DRUMAN [6]).

§ 5.

Lex Tullia [7]).

Lex Calpurnia visa erat nonnullis severior idcirco in Senatu actum est ut ei legi derogaretur, biennio postquam lata erat. CICERO enim recensens varia genera in quibus per Senatum more maiorum aliquid statuatur

---

1) Vide MADVIGIUM ad l. de Fin. II. 19 § 62. in nota p. 252. [et CIC. p. Sulla 5 § 15.]

2) [Sic iam paullo post damnationem conati erant Rempublicam evertere; cuius coniurationis in suspicionem etiam CAESAR venerat. SUET. Caes. 9. coll. SALL. Bell. Cat. 18.]

3) Non est hoc tamen ita accipiendum ac si CAECILIUS novam ambitus legem tulerit ut MASCOVIO (p. 41) videtur. cf. CIC. p. Sulla, c. 22. 23. MASCOVIUM ut saepius sequitur BOUCHAUD. op l. 415.

4) DIO CASSIUS. XXXVII. 25.

5) DIO CASSIUS. XXXVI. 21. CIC. p. Sull. 22. § 62—67. DRUMAN V. p. 571. II. p. 515.

6) DRUMAN. II. 523. n. 37.

7) Vide ad hanc legem: DRUMAN., Gesch. Roms V. p. 445 sqq. Pauciora quam iure expectares leguntur apud MIDDLETON. Life of CIC. I. p. 154, 171, 191. Melius partes suas egit BRÜCKNER in op. Leben des M. TULLIUS CICERO, cuius pars prior, das Burgerliche und Privatleben des CICERO's prodiit Göttingae 1852. Vide p. 222, 253, 255.

de legibus, sic scribit [1]): „*tertium* genus est de legum „derogationibus; quo de genere persaepe Scta fiunt ut „nuper de ipsa lege Calpurnia cui derogaretur" [2]). Relatum de ea re igitur est ad Senatum a. u. c. 689. a. C. 65. Anno vero sequenti lex non mitior ferebatur, sed quod in dies licentia ambitus augeretur senatus censuerat, ut lex ambitus *aucta etiam cum poena* ferretur a. u. c. 690. a. C. 64. quae tamen non est perlata intercedente Q. MUCIO ORESTINO tr. pl. [3]). Post

---

1) Asc. apud OR. p. 67, 68.

2) [Dele voc. *cui derogaretur* et vocc. *ut abrogarentur.* ibid. p. 67.]

3) ASC. PED. apud ORELL. p. 83, 85, 88. Annotandus est h. l. error DRUMANNI qui de Scto, cui intercessit Q. MUCIUS sic scribit: T. V. p. 420. „Der Tribun Q. MUCIUS ORESTINUS verpflichtete sich „durch seinen Einspruch die Verbündeten von welchen er gewonnen war „und diese nicht allein." Laudat ad hanc sententiam confirmandam ASCONIUM iis locis, quos ego quoque attuli sed addit alios ex Orat. p. Mur. 26 § 54. 34 § 70 vel 71. idque false. Prior locus intelligendus est de Scto facto, referente CICERONE; ut apparet ex orat. p. Mur. 2 § 3 sq., nam CATO aegre ferebat quod consul et legis ambitus lator, causam MURENAE attingeret. Nemo facile in animum inducet CATONEM obiecisse CICERONI aliquid de intercedente Q. MUCIO anno superiore, Scto contra ANTONIUM et CATILINAM; nam ei Scto CICERO ipse favebat ut apparet ex ASCONIO. Quod ad alterum locum ex orat. p. Mur. 34 § 70, 71. neque hunc pertinere ad Sctum cui intercessit Q. MUCIUS facile demonstrari potest. Sctum factum est L. CAESARE consule (i. e. a. u. c. 690. a. C. 64. quum CICERO petebat) invitis tenuioribus: at illi Scto non intercessit Q. MUCIUS, nam *factum est;* quod plebs idcirco aegre tulisse fertur a CICERONE, quod officia candidatis tribuere nulla posset. Quae memorantur § 72. „quantum hac quaes„tiones in senatu habitae punctorum nobis SERVI detraxerint" pertinent ad caput quoddam ex lege Tullia, quo cavebatur; „ne quis tri„butim spectacula daret et ad prandium vulgo vocaret." Detraxerunt eae quaestiones multa puncta *nobis* scribit CICERO i. e. causae SERVII. Quod duplici argumento demonstrabo: primum certum est CICERONEM favisse SERVII petitioni CIC. p. Mur. 3 § 7, 8. QUINCT. I. O. XI. 1 § 69; secundo: saepius *nobis* ita legitur apud CIC. de caussa, cui ipse favit, vel de reo et de se defensore CIC. p. Mil. 2 § 3, 4 ,5. p. Mur. 9 § 21. 16 § 34.

eam intercessionem, quam graviter tulit Senatus, CICERO loco sententiae in Senatu dixit orationem in toga Candida. Leguntur in fragmentis huius orationis, quae commentario suo illustravit ASCONIUS permulta, quae ad petitionem CICERONIS eiusque competitorum et ad historiam illorum temporum recte intelligendam quantivis pretii sunt: quae sparsim per nostram disputationem idoneis locis tractabimus. Nunc solum id agimus ut legum seriem quam fieri possit accuratissime proponamus.

Ante legem Tulliam lata sunt:

A. Lex Fabia [1]).

B. Sctum L. CAESARE factum.

A. Ad quem annum referenda sit lex Fabia, quae est de numero sectatorum, nescitur; nullo enim alio loco nisi semel apud CICERONEM [2]) huius legis mentio invenitur. Sat multae de tempore quo lata sit afferuntur coniecturae alia aliâ audacior [3]), sed et in his tenebris melius est manus abstinere [quamvis ex loco CICERONIS iure fortasse coniiceres hanc legem Fabiam non multo ante legem Tulliam fuisse latam].

B. De eadem re fuisse fere statutum Scto quodam ac lege Fabia inde confici potest quod una, idque in eodem argumento a CICERONE coniunguntur. Sctum illud non nisi l. l. CICERONIS inveni; latum est L. CAE-

---

[1]) Scribunt multi BOUCHAUD. p. 408 sq. HEIN. Synt. p. 802. ed. MÜHLENBRUCH aliique hanc legem esse antiquatam, quod verum non est; plebs *restitit* legi sed eam non *reiecit;* diserte enim CIC. scribit: „legi „Fabiae, *quae est*, de sectatorum numero: „ut p. Planc. 15 § 36. „lex Licinia, *quae est* de sodaliciis."

[2]) CIC. p. Mur. 34 § 70.

[3]) [BOUCHAUD v. c. dicit p. 408 paullo post legem Mariam a. u. c. 635. (vide p. 82.) secutam esse legem Fabiam, quamvis accurate dici nequeat quo anno lata fuerit.]

SARE C. MARIO FIGULO coss. praesertim ex prioris ut videtur sententia. Consulatu functi sunt anno ante CICERONEM, igitur eo anno, quo CATILINAE coniuratio altera incepit [1]). Erant illa lex, et illud Sctum, sine dubio lata ad ambitum coercendum. Ceteroquin de iis nil statui posse videtur, nisi quod ex loco l. CICERONIS appareat esse in eo Scto cautum de sectatoribus [2]).

Legem Tulliam esse proprie Sctum, ex loco DIONIS CASSII [3]) saepius iam laudato, apparet. Fuisse legem Tulliam supplementum legis Calpurniae vel additamentum per interpretationem, conficitur ex verbis DIONIS CASSII qui scribit ἔδοξε τῇ βουλῇ — δέκα ἐτῶν φυγὴν — προσνομοθετῆσαι et ex oratione pro MURENA: [4]) „Dixisti „Sctum me referente esse factum i. e. perlatum [5]), si „mercede corrupti obviam candidatis issent — et item „prandia vulgo essent data, *contra legem Calpurniam* „*factum videri*." Ex quo loco simul intelligitur Sctum L. CAESARE consule factum minoris fuisse momenti, ut etiam lex Fabia, quippe quod Calpurniam legem non sustulerint. Quid cautum lege Tullia fuerit admodum accurate scire possumus ex oratione ipsius CICERONIS pro L. MURENA ex lege Tullia ambitus reo, quamvis ingenti argumenti nostri damno, bona pars orationis interierit. [6]) Colligam quae suae legis capita CICERO

---

1) SALL. Bell. Cat. 17. BOUCHAUD p. 408. videtur cogitare legem Fabiam et Sctum hocce paullo post legem Mariam fuisse lata: quod secus esse ratio ipsa docet.

2) De sectatoribus vide infra p. 117. cf. REINII opinio ex PLUT. Cat. Min. 8.

3) DIO CASSIUS XXVII. 29.

4) CIC. p. Mur. 32 § 67.

5) Vide supra p. 108. n. 3. et p. 109. n. 1.

6) [Ex PLINII Ep. I. 20. apparet hanc partem Ciceronis orationis

enumerat, quibus addam ceterorum auctorum testimonia, adiecta, ubi necessarium videbitur, interpretatione.

I. Lege Calpurnia cautum erat ut is, qui damnatus esset ambitus Romae quidem demorandi facultatem haberet, sed honoribus et senatu in perpetuum abstineret [1]).

Id lege Tullia non solum cautum, [2]) sed additum: *exilium in damnatos*, ut apparet ex his CICERONIS verbis: [3]) „exilium in nostrum ordinem" (tua voce efflagitatum est) [4]) quod a FERRATIO sic explicatur: [5])

---

pro Mur. ubi agebatur de CN. POSTUMII et de SERVII SULPICII criminibus, cf. p. Mur. 26 § 54, non interiisse, sed ab oratore non esse editam. Dicit enim PLINIUS, veteres saepe plura dixisse, quam edidisse; cuius rei testes laudat CICERONIS orationes pro MURENA et pro VARENO: „in quibus brevis et nuda quasi subscriptio quorundam criminum solis titulis indicatur." Non solebat enim CICERO orationes scripto mandare antequam eas haberet; vide v. c. ad Q. fr. III. Ep. 1. c. 4 § 11. „Libros meos omnes, quos expectas inchoavi; sed conficere non possum his diebus. Orationes efflagitatas pro SCAURO et pro PLANCIO absolvi;" (data est haec epistola postquam illi causam dixerant); sed quae agendo animadverterat auditoribus maxime placere, ea deinde litteris mandabat; CIC. Tusc. Disp. IV. 25 § 55. cf. de Senect. 11 § 38. WOLF. ad orat. p. Marc. praef. p. XVI seqq.; ut ipse CICERO dicit, pleraeque orationes non habendae scribuntur, sed habitae. Vide porro CIC. Brut. 44 § 164. (ubi idem de CRASSI orationibus dicitur, quod PLINIUS dixit de CICERONE) de Off. II. 1. — Quod igitur maxime probata esset HORTENSII pro MESSALA oratio, „declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio." CIC. Brut. 96 § 328. Nonnumquam orationes propter rei magnitudinem dictae sunt de scripto. CIC. p. Plancio 30 § 74. MARKLAND. in praef. ad Orat. IV a WOLFIO editas p. LXIII sq. WUNDERUS ad Planc. l. l. Pluribus de hoc argumento egit ELLENDT. proleg. ad CIC. Brut. § 50. p. XCI sq.]

1) Vide ad legem Calpurniam. p. 93.

2) CIC. p. Mur. 27 § 55. 40 § 87.

3) CIC. p. Mur. 23 § 47.

4) CICERO de ambitu tulit ad Senatum, sed rogatu SERVII SULPICII qui etiam in competitores duriores poenas constitui cupiebat. CIC. p. Mur. 23 § 47. vide infra.

5) FERRAT. Ep. I. 13.

„soli enim Senatores lege de ambitu tenebantur, cum „ii tantum ad petendos magistratus accederent: cum„que damnati et ordinem et ius petendorum honorum „antea amitterent, Tullia lex x annorum exilium addidit," quod docemur a DIONE CASSIO: [1]) ἔδοξε τῇ βουλῇ δέκα ἐτῶν φυγὴν — τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι ex quibus verbis apparere videtur DIO alias poenas lege Tullia introductas ignorasse. Ipse CICERO in oratione pro MURENA huius exilii meminit v. c.: „sed quid ego matrem aut domum „appello, quem nova poena legis et domo et parente „et omnium suorum consuetudine conspectuque privat? „ibit igitur in exilium miser" cett. [2]) Explicatio Tulliani loci apud FERRATIUM multis vera videtur; tamen ab omnibus non accipitur, inter quos etiam BOUCHAUDIUM video, [3]) qui contendit, [4]) „Patricios teneri „poena interdictionis aqua et igni, Plebeios vero infamiae." [5]) Nesciebat scilicet discrimen inter Patricios et Plebeios Romanis illius temporis fere esse incognitum, neque unquam fieri potuisse ut CICERONIS tempore lex lata sit, quae graviorem in plebem quam in Patricios constitueret poenam. Quamquam BOUCHAUD admodum accurate solet annotare unde habeat, quae profert nostro loco destitutus videtur testimonio idoneo. Videtur

---

[1]) DIO CASSIUS. XXXVII. 29.

[2]) CIC. p. Mur. 41. § 89. Memoratur hoc caput legis Tulliae saepius nempe: CIC. p. Pl. 34 § 83. Schol. Bob. ad Or. p. Sull. p. OR. 362. CIC. p. Mur. 23 § 47. 41 § 89. D. C. l. l.

[3]) In disputatione laud. p. 430.

[4]) BOUCHAUD. op. l. 413.

[5]) Posterioribus temporibus pro diversis ordinibus saepe diversae poenae constitutae erant. Vide v. c. PAULLI Sent. Rec. V. 25 § 1.

enim illud testimonium petere, [quamquam hoc non additur] ab ipso CICERONE nempe ex his verbis [1]: „poena gravior in plebem efflagitata est — commoti „sunt animi tenuiorum — exilium in nostrum or- „dinem, concessit Senatus postulationi tuae sed non „libenter duriorem — conditionem constituit". BOUCHAUD sic ratiocinatus esse videtur; *nostro ordini* opponitur *plebs*. In nostrum ordinem exilium constitutum est; in plebem poena gravior. Quid adeo gravius est exilio? *Infamia*. Haec omnia inde provenerunt, quod ille locum CICERONIS non intellexit. SERVIUS SULPICIUS enim providebat fore ut ipse non crearetur; quid igitur? Flagitabat legem severiorem de ambitu, quam lex Calpurnia. Graviorem igitur poenam in plebem i. e. in *corruptos*, qui suffragia vendebant constitui voluit. Hoc non satis erat; ii quoque qui corrumpendam plebem curabant puniendi erant gravius quam ex lege Calpurnia. Additum igitur est: *exilium decem annorum*.

Abalienavit SULPICIUS a se tenuiores quod durior sibi poena instabat; Senatus (quod noluerat in lege Cornelii, Calpurnia lege, severiore) graviorem in se constitui poenam est passus, sed non libenter. At quid opus his verbis? Demonstrabo ex ipsa oratione pro MURENA hanc BOUCHAUDII opinionem esse falsam. L. MURENA non erat patricius [2]; igitur poena in eum damnatum esset infamia [3]; attamen CICERO dicit in peroratione [4], nova legis poena eum esse domo et parente et omnium con-

[1]) Cic. p. Mur. 23 § 47.

[2]) Cf. Orat. p. Mur. 7 § 15 sqq.

[3]) Nisi forte BOUCHAUD aliam in equestrem ordinem excogitavit poenam.

[4]) Cic. p. Mur. 41 § 89.

spectu privatum. Et quid CICERO homo novus diceret patricios *nostrum ordinem?* [1]). Liceat mihi in hac virorum doctorum dissensione meam qualemcunque in medium proferre opinionem, quam pro magna parte cum REINIO [2]) me communem habere video. Locum CICERONIS sic interpretandum esse opinor ut oppositione vocc. *plebis* et *nostri ordinis* intelligantur *corrupti* et *corrumpentes;* poterat CICERO aliquo iure dicere *nostrum ordinem*, quo voc. sine dubio soli indicantur Senatores, quoniam in petitione quaesturae solum sermo erat de petitore non Senatore, neque huiuscemodi iudicii quaetoris ambitus accusati ullum invenitur vestigium. Idcirco addidit etiam post vocc. *in nostrum ordinem* [3]): „concessit Senatus postulationi tuae sed non libenter" i. e. inviti Senatores in se ipsos tantam constituebant poenam.

Neque post tempus exilii habebant ius in Senatum veniendi ut apparet ex orat. pro MURENA. [4]), ubi vocc. „etiam in fortunae veteris discrimen adducitur" accurate conveniunt cum hoc praecepto apud DIONEM, μήτε βουλεύειν [ex lege Calpurnia].

Erat lege Tullia gravior poena in plebem constituta [5]), in eos, qui suffragia vendebant. Apparet ex comparativo iam lege Calpurnia de ea re fuisse cautum.

---

[1]) Eodem modo CICERO opponit *nos (senatores)* et *equites*. p. Mur. 34. § 70.

[2]) REIN, op. l. p. 713 n°. 2.

[3]) Neque Patricius ordo, credo, fuit Romae CICERONIS tempore [nec unquam.]

[4]) CIC. Or. p. Mur. 27 § 55.

[5]) CIC. p. Mur. 23 § 47.

Mommsen [1]) haec verba refert ad divisores; quo iure non video. Nam si in divisores poena constituta esset, quomodo hoc dici posset graviorem esse in *plebem* poenam constitutam; scripsisset quod etiam in Corneliana l. l. et in Planciana [2]) et in Verr. ll. ll. legitur de divisoribus, non de tota plebe.

Quae quum ita sint, statim concidunt, quae mommsen scribit [3]) solum candidatum teneri ambitus; exceptis tamen divisoribus; nam hoc capite etiam poena sancita erat in eos, qui suffragia vendere soliti erant. Praeterea falsam esse ultimam hanc opinionem arguunt verba ciceronis quae mommsen laudat: „haud scio an de am„bitu, et de criminibus istis *sodalium* et *sequestrium* — „similiter respondendum putem." [4])

III. Fuit lege Calpurnia poena constituta in divisores [5]). De iisdem lege tullia cautum esse, confici potest ex oratione pro murena [6]).

IV. Lege Tullia „morbi excusationi poena addita est." Haec verba si explicare vellem non aliter facere possem, quam describere ferratium [7]), cuius disputationem orell totam recepit [8]). Eam hic repetere necesse esse non opinor. [Summa huc redit, ea lege reis id esse ademptum, ut possent morbo simulato iudicium detractare, et sic totum iudicium eludere.] Cicero igitur rem ita exponit ac si murena etiam aegrotans

1) Mommsen, op. l. 45. n°. 13.
2) Cic. p. Pl. 23 § 35.
3) Mommsen, p. 43 sq. n. 5.
4) Cic. pro Coelio 7. § 16.
5) Vide supra ad l. Calpurniam et asc. p. or. 75.
6) Cic. p. Mur. 26. § 54.
7) Ferr. Ep. I. 13.
8) Ind. leg. p. 287.

ad iudicium venerit [1]) [ut misericordiam iudicum moveat].

V. CICERO legem suam de ambitu sic memorat [2]): „mea lex dilucide vetat: „biennio, quo quis petat pe-„„titurusve sit, gladiatores dare nisi ex testamento prae-„„stituta die"" quae fere eodem modo leguntur in orat. pro SESTIO [3]) nisi quod ultima desunt. Solebant enim Romani ludos dare, gladiatores cett. quod *munus* vocabant ad benevolentiam civium praesertim tenuiorum sibi conciliandam [4]). Dabant illos ludos sub quolibet titulo [5]).

Per interpretationem contra legem Calpurniam aliquis fecisse censebatur:

VI. „Si mercede corrupti obviam candidatis issent" [6]). Haec vocc. ansam mihi praebent ut aliquid in medium proferam de disputatione quadam A. VAN GOUDOEVER V. Cl. habita in contione Classis III, Inst. Reg. in qua demonstratum est vocc. apud SALLUSTIUM [7]): „quod in-„tra legitimos dies profiteri nequiverit" esse interpolatoris, tum aliis ex argumentis, tum etiam quod initio consulatus CICERONIS, quum RULLUS legem agrariam ferebat opus non erat ut praesens aliquis peteret; nam de POMPEIO erat, quod antea numquam, cautum in ea lege „*ut praesens profiteretur*" [8]) quum ceteroquin con-

[1]) CIC. p. Mur. 40.

[2]) CIC. in Vatin. 15 § 37.

[3]) CIC. p. Sest. 64 § 133.

[4]) Vide v. c. Orat. p. Mur. 18 § 37. 19 § 38. ASC. PED. p. OR. 88 et supra p.

[5]) Asc. l. l.; de ludis vide supra p. 16 sq., 103, 104. ubi laudavimus exemplum GALLII qui ludos dabat, sub titulo patri se id dare.

[6]) CIC. p. Mur. 32 § 67.

[7]) SALL. Bell. Cat. 18.

[8]) CIC. de lege Agr. II. 9 § 24.

stet a. u. c. 694. i. e. triennio post, hoc esse cautum „ne absentis ratio haberetur" ut scimus ex petitione CAESARIS. Inde effecit V. Cl. et recte hanc legem esse latam intra tempus, quo lex Servilia antiquata est et quo CAESAR petiit. Quae opinio egregie confirmatur, opinor, duobus locis ASCONII de petitione CATILINAE ubi diserte dicit CATILINAM revera petiisse sed destitisse a petitione, quod reus esset [1]. Insuper hoc liceat addam quod in CICERONIS consulatu de ea re lex non sit lata, nam apparet MURENAM decedentem de provincia, igitur absentem petiisse, quod conficitur tum ex aliis locis orat. pro MURENA tum ex his verbis [2], quae sunt accusatoris: „multi obviam prodierunt, de provincia „decedenti, consulatum petenti."

Igitur possumus dicere legem de professione intra legitimos dies (trinundinum) esse latam a. u. c. 692. a. C. 62, vel a. u. c. 693. a. C. 61. et ita paullo accuratius possumus spatium temporis definire quam a Cl. VAN GOUDOEVER factum est. Nec ullum vestigium est apud CICERONEM talem legem se consule esse latam.

VII. Si conducti sectarentur,
VIII. Si gladiatoribus vulgo locus tributim esset datus, [3]
IX. Si prandia vulgo essent data.

Ad VIII. Dicit REIN ad vocc. „si gladiatoribus „vulgo locus tributim esset datus" [4]: „das h. ohne „Unterschied allen Tribus nicht blos der Tribus zu wel- „cher der Candidat gehörte", quod vix intelligo, nisi forte statuas delictum levius vel gravius esse si idem

---

1) ASC. PED. p. OR. 66.
2) CIC. p. Mur. 33 § 68.
3) CIC. p. Mur. 32 § 67.
4) REIN. op. l. p. 712.

beneficium huic vel illi tribui dederis. Locus sic intelligendus videtur: tenetur lege ambitus qui gladiatoribus (i. e. in ludis gladiatorum) vulgo dat locum tributim, qui toti tribui locum dat, qui igitur totam tribum corrumpere vult uno beneficio vel uno facto. Non obstat huic meae opinioni neque pro REINIO pugnat locus in orat. pro MURENA [1]): „ut locus — daretur amicis et „tribulibus." Nam eo loco sermo non est dè tota tribu sed de singulis hominibus ex tribu petitoris.

Ad VIII et IX. Licebat amicis candidati haec facere ut apparet ex orat. pro MURENA [2]): „factum est „hoc ab eius amicis more et modo" immo quum CICERO petebat consulatum, candidato hoc etiam licuisse, confici potest ex verbis Q. fratris [3]): „est benignitas, in con„viviis, quae fac et abs te et ab amicis tuis concele„brentur *et passim et tributim.*"

X. Ut custos accusatori a reo apponeretur. [4])

Caput de custode (φύλαξ) huc inserui, quamvis incertus haeream ex qua lege profectum sit: unico loco huius instituti inveni mentionem, nempe apud PLUTARCHUM: [5]) νόμῳ δέ τινι τοῦ φεύγοντος (reus) ἀεὶ φύλακα τῷ κατηγόρῳ διδόντος, ὥστε μὴ λαθεῖν ἃ συνάγει καὶ παρασκευάζεται πρὸς τὴν κατηγορίαν κτέ. permissum erat lege quadam ut reus accusatori apponeret custodem, ne lateret reum, quid accusator moliretur. Ad quam legem igitur pertineat nemo facile dicet; quamvis

---

1) Cic. p. Mur. 34 § 72.
2) Ibid. l. l.
3) Q. fr. de pet. cons. 11 § 44.
4) Plurium custodum mentio fit apud PLUT.; de capienda ex inim. utilitate. c. 9.
5) PLUT. Cat. Min. 21.

satis probabiliter aliquis contendere posset illud tum de iudicio ambitus, tum de ceteris iudiciis publicis valuisse. Quoniam in iudicio MURENAE ille custos memoratur hunc locum hic adscribendum putavi.

Haec capita legis Tulliae inveni, quam legem rogatu SERVII SULPICII a se latam CICERO non semel dicit. [1]) Alia etiam voluit SERVIUS SULPICIUS ea lege cavere, quae tamen Senatus repudiavit nempe: „Confusionem [2]) „suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae — „idem iudices editicios [3]) esse voluisti." [4])

Saepius vocabula „confusionem suffragiorum" [5]) et „prorogationem legis Maniliae" separarunt interpretes, duo capita esse existimantes. Idcirco quum priorem partem explicabant, hac utebantur argumentandi ratione: Confusio suffragiorum est: omnium suffragiorum in unaquaque centuria aut tribu latorum fiat computatio; qui plura tulerit suffragia in universo is factus esto: non penderet igitur creatio a centuriis, sicut antea, sed a numero punctorum, quae quis tulisset.

Rem aliter sed ut videtur falso proponit DRUMAN [6]); nam quod ille dicit non esset suffragiorum confusio, sed centuriarum. Suffragii latio modo a me exposita secundum DRUMANNUM nimium temporis postularet, quam quae uno die conficeretur: eventurum eundem comitiorum exitum si centuriae non secundum classes

---

1) CIC. p. Mur. 23 § 47 et alib.

2) Haec in commentatione, quam ordini nobil. misi plane aliter exposueram.

3) De iudicibus editiciis vide infra ad legem Liciniam.

4) CIC. p. Mur. 23 § 47.

5) Quomodo suffragia ferret populus (in iudiciis) indicat ASCONIUS. p. OR. 21.

6) DRUM. op. l. V. p. 446. n. 61.

sed sorte in suffragium mitterentur; rem citius peractam fore; nam simulac quis maiorem tulerit centuriarum numerum, creatus esset, nec opus tunc esset omnium suffragiorum diribitione. Quae omnia confirmantur uno exemplo analogo petito ex libello, quem ipse D. spurium declarat nempe SALLUSTII Ep. ad CAESAREM de Rep. ordinanda, ubi haec leguntur: [1]) „de magistrati-„bus creandis haud mihi quidem absurde placet lex, „quam C. GRACCHUS in tribunatu promulgaverat, ut ex „confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur." At quid huic legi cum confusione suffragiorum? recte eam dixeris latam esse de centuriarum confusione. Hoc unum lege (GRACCHI) Sempronia efficiebatur, ut non semper penes primam et fortasse secundam classem esset, rem conficere, sed ut fieri posset, si fors ita tulisset, ut tenuiores etiam in suffragium vocarentur. Ad rem ipsam tamen quod attinet nihil omnino hac lege mutatum esse unusquisque videt. [2]) Mitto illud quod gravissimum est, CICERONIS tempore in comitiis consularibus suffragia fuisse lata secundum classes sicut D. perhibet. Multis enim facile videtur contrarium demonstrare, nempe per tribus lata esse suffragia.

Venio ad D. obiectionem, nimium temporis postulaturam omnium suffragiorum diribitionem, quam quae uno die conficeretur. Licet haec difficultas paullulum imminuatur D. si amplexus fueris sententiam, manet tamen. Nam confusis centuriis, i. e. prima (et secunda nonnun-

---

[1]) SALL. Ep. ad CAES. de Rep. ord. II. c. 8.

[2]) Cf. MANUTIUS ad locum l. Mur. 23 § 47. et MOMMSEN op. l. p. 49. n.29.

quam accedente) classe sola rem non conficiente, facile hoc locum haberet, quod nunc ponam. Ex D. sententia 193 centuriae in suffragium vocabantur: fieri igitur facile potuit ut 150 vel plures etiam centuriae suffragia tulerint antequam maior centuriarum numerus eundem fecisset et nihil prorsus hoc modo proficeretur. Quid si nemo maiorem centuriarum partem tulisset? Essentne iterum Quirites in suffragium mittendi? Si non iterum mittebantur omnia suffragia certe erant diribenda, et nihil prorsus proficeretur. Sed si ponamus vocc. „prorogationem legis Maniliae" cett. appositionem esse, ut aiunt, vocc.: „confusionem suffragiorum" longe aliud quid orietur. Initium faciemus igitur in interpretando, quid lege Manilia, quid prorogatione sit intelligendum ut hisce cognitis revertamur ad confusionem suffragiorum.

Legem Maniliam, intelligi eam legem latam a C. MANILIO „ut libertini in omnibus tribubus suffragia ferrent" in aprico est si ASCONIUM inspexeris. [1]) Tulit eam legem idem MANILIUS, qui de imperio CN. POMPEII tulit, idque eodem tempore, [2]) nempe in fine a. u. c. 687. a. C. 67. Iniit enim tr. pl. a. d. IV. Id. Dec.; decemque diebus post legem tulit. [3]) Videndum nunc est quid significet, *aliquam legem prorogare.*

Legitur apud ASCONIUM: [4])

„Quatuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per „Senatum aliquid statuatur de legibus. Unum est „eiusmodi, placere legem abrogari ut Q. CAECILIO,

---

[1]) Asc. op.-or. p. 66.

[2]) Asc. ibid. DRUM. IV. p. 416.

[3]) DRUM. l. l.

[4]) Asc. p. or. 67. sq.

„M. IUNIO coss. quae leges rem militarem impedirent, „ut abrogarentur."

Legem Maniliam Scto abrogatam esse apparet ex his verbis ASCONII: [1])

„Dictum est supra de his legibus, quarum una de „libertinorum suffragiis, quae cum Scto damnata esset" cett. Contendunt V. V. D. D. Senatum etiam hoc iuris habuisse ut quam legem antea abrogarat, revocare posset, quam revocationem *prorogationem legis* appellant. Mitto, quam abhorreat a verisimili opinione, quod umquam talem commiserint Senatui potestatem Quirites; quippe qui hoc modo omnia ad suum nutum facere potuisset; mitto, quod ASCONIUS huius rei ne verbum quidem memorat; hoc solum quaero possitne voc: *prorogare* significare legem olim abrogatam iterum revocare? *Prorogatur* alicui id, quod iam habet; sic semper apud CICERONEM aliosque; nusquam alius significationis vestigium inveni. Prorogamus alicui provinciam, imperium cett. ubi sic per longius tempus aliquid alicui conceditur, quam initio sive lege sive Scto ei datum erat. [2]) At, dicet aliquis, negas legem abrogatam prorogari dici posse si revocatur i. e. si illius vis interrupta et aliquo tempore nihili fuerit, sed prorogatio provinciae tum demum locum habere potest, exacto legitimo imperii tempore; haec igitur eodem redeunt. Non opinor, nam si prorogatio non locum haberet dum magistratus in provincia essent, sed exacto legitimo tempore, nemini credo unquam evenisset ut imperium ei prorogatum esset. Nam unusquisque secundum legem provinciam dudum

---

[1]) Asc. p. OR. 66.

[2]) Cf. fere omnes Epistolae CIC. ad Att. ex Cilicia datae.

iam reliquisset antequam illud populi Senatusve decretum ad eum pervenisset.

Mommsen alia utitur ratione ut suam opinionem defendat. „Si magnis, ait, [1]) licet parva componere, „cogitent velim Icti de stipulatione, quae exceptione „perpetua ne petatur irrita facta mox reviviscat, si „rursus convenit ut petatur." [2]) Sed haec parva ad magna scil. nostra nil pertinere is statim videbit, qui cogitet quid sit *convenit* i. e. partibus consentientibus, quod certe non cadit in prorogationem illam per Senatum. Aliud etiam argumentum affert mommsen, [3]) non posse Senatum leges abrogare, quamvis id saepius locum habuerit. Cuius rei in fidem laudat haec asconii verba: [4]) „Cornelius promulgavit legem, qua aucto„ritatem Senatus minuebat; ne quis nisi per populum „legibus solveretur. Quod antiquo quoque iure fuerat „cautum; ita in omnibus Sctis, quibus aliquem legibus „solvi placebat, adiici erat solitum, ut de ea re ad „populum ferretur, sed paullatim ferri erat desitum, „resque iam in eam consuetudinem venerat ut postremo „ne adiiceretur quidem in Sctis de rogatione ad popu„lum ferenda, eaque ipsa Scta per pauculos admodum „fiebant." Neque hoc cum nostra quaestione quidquam habet commune; hoc loco enim sermo est, de iure quodam, quod sibi arrogarat Senatus; in legibus abrogandis contra Senatus, sicuti apparet ex asconio, iure suo utebatur. Quid igitur? Velle servium sulpicium ut libertini in tribubus patronorum suffragia ferrent?

[1]) Mommsen. p. 49. n. 28 f.
[2]) l. 27 § 2 ff. *de pactis.*
[3]) Mommsen. l. l.
[4]) Asc. ped. p. or. 57.

Omnino credo neque eos audiendos puto, qui hoc idcirco negent, quod haec non caderent in summum Ictum, at honoris cupidissimum. „Graviter homines „tulerunt, inquit CICERO [1]) a tali viro esse pugnatum, „ut omnes et dignitatis et gratiae gradus tollerentur," quae optime conveniunt cum lege Manilia.

Confusionem suffragiorum sign. posse, ut suffragia libertini in tribubus patronorum ferrent extra dubium esse videtur. [2]) Sequebatur igitur confusio suffragiorum ex legis Maniliae prorogatione; si contra suffragiorum confusio sign. omnium suffragiorum latorum computatio in unum, hoc e regione esset oppositum legis Maniliae prorogationi; nam eo modo nihil prorsus interesset tulerintne libertini suffragium in tribubus urbanis, an in patronorum tribubus.

Quid vero faciendum sit voc. *prorogationis* nondum scio. Illud accipi non posse eo sensu, quo MOMMSENIO aliisque videtur, mihi persuasum est. Quodsi vera sunt quae disputavi nihil superest quam locum corrigere, quod mihi non contigit.

§ 6.

Rei ex lege Tullia.

I. L. LICINIUS MURENA,
cuius causae dictionem [3]) quum CICERONIS pro eo partim exstet defensio, satis accurate cognoscere possumus, praesertim cum ea oratio CICERONIS talis sit, quae ut

---

[1]) CIC. p. Mur. 23 § 47.
[2]) CIC. de Fin. V. § 67. de Legg. II. § 25.
[3]) Vide KLOTZ. in argum. huius orat. op. l. T. II. p. 580—592.

mihi quidem videtur, iure a multis inter optimas illius orationes habeatur. Aegre tulerunt Icti multi quod SERVIUS SULPICIUS summus Ictus tam male mulcatus cum iuris scientia ex eo certamine abierit, sed ut mihi videtur iniuria. Omnia illa dicta et ioci CICERONIS iuris scientiae usque ad hoc tempus non nocuerunt neque unquam nocebunt. Orator suae serviebat causae et unicus modus quo MURENAM feliciter defenderet, qui sine dubio ambitum commiserat, hic erat ut accusatorem cum subscriptoribus, iocis lepidis, non argumentis obrueret. Rectissime NIEBÜHR mihi dixisse videtur: „Die Rede für „MURENA ist gar nicht gehörig gewürdigt, namentlich „nicht von Juristen, die sich zu irrenden Rittern des „grossen Rechtsgelehrten SERVIUS SULPICIUS aufgeworfen „haben. Man bedenkt nicht die Gemüthsstimmung des „Redenden" (qui tunc gloriabatur se urbem patriamque conservasse) „sondern fühlt sich in kleinen Ausse„rungen beleidigt" [1]). Post eam defensionem, quam MURENAE absolutio secuta est, iure potuit victus CATO exclamare: ὦ ἄνδρες, ὡς γελοῖον ὕπατον ἔχομεν· o Quirites, quam ridiculum consulem habemus! [2])

Cum CICERONE MURENAM defenderunt Q. HORTENSIUS et M. CRASSUS [3]). Accusabat SERVIUS SULPICIUS, qui in

---

[1]) NIEBÜHR, Vorträge. III. p. 25 sq. Conferenda est ad h. l. docta disputatio I. LUZAC, exhibens *observationes apologeticas* pro Ictis Rom. L. B. 1768. praesertim c. 3.

[2]) PLUT. Cat. Min. 21.

[3]) Perperam BOUCHAUD dicit p. 415, MURENAM accusatum esse a CATONE, qua in re sequitur auctoritatem PLUT. (Cato Min. 21) quae certe hac in re multo inferior est quam disertum CIC. testimonium, passim in orat. p. Mur. obvium, quamquam negari non potest CATONEM multum laborasse ut MURENA damnaretur. Cf. PLUT. de cap. ex inim. utilitate. c. 9.

petitione repulsam tulerat cum M. CATONE MINORE, SERVIO SULPICIO MINORE et CN. POSTUMIO [1]).

Addam h. l. nonnulla de accusationibus et defensionibus in universo; exordium faciam ex nostra causa. *Accusare* apud Romanos odiosum erat, paucis certe exceptionibus nempe si quis acceptas iniurias vel paternas iniurias ulcisceretur vel si Reip. causa accusaret. Idcirco in causis de ambitu videmus saepissime accusatores eos esse, qui repulsam tulerunt, ut nostro loco SERVIUS SULPICIUS. CATO reip. causa accusabat [CIC. p. Mur. 37. § 78.] vel potius subscriptor exstitit quod tamen eodem fere redit, ita ut POSTUMIUS v. c. [et ipse CATO] accusator appelletur [2]). PLUTARCHUS hac in re fallitur, quod CATONEM tanquam accusatorem proposuerit, forte quod audiverat CATONEM iurasse: κατηγορήσειν τοῦ δόντος ἀργύριον [3]), se nomen consularis candidati delaturum [4]). At D. IUNIUM SILANUM alterum consulem designatum non accusavit δι' οἰκειότητα, ait PLUTARCHUS, Σερβιλίαν γὰρ ἀδελφὴν Κάτωνος ὁ Σιλανὸς εἶχε· MURENAE accusationem cedebat sine dubio competitori repulso. Paternas iniurias ulcisci i. e. patrem damnatum [vel accusatum] ulcisci cupiebat ATRATINUS, cuius patrem L. COELIUS de ambitu accusaverat. Reip. causa plerumque accusabant iuvenes [5]) eo consilio ut se civibus suis commendarent [6]). Sic CICERO damnavit VER-

[1]) CIC. p. Mur. 21 § 43. 26 § 54. [4 § 10. 23 § 48. coll. 26 § 54.]

[2]) CIC. p. Mur. 27 § 56. 28 § 58 et saepius. Sic tres accusatores MILONIS nominat ASCONIUS. p. Or. 42.

[3]) PLUT. Cato Min. 21.

[4]) CIC. p. Mur. 30 § 62. [de Fin. IV. § 74.]

[5]) TAC. de Cl. Orat. 34. cf. MANUT. ad CIC. ad Fam. VIII. 6. BEAUFORT. Rép. Rom. T. II. p. 101.

[6]) ELLENDT. op. l. p. XVII.

REM [1]), sic LICINIUS CALVUS VATINIUM petiit, sic COELIUS C. ANTONIUM reum peregit [2]), sic C. IUL. CAESAR DOLABELLAM [3]) accusavit. Defensiones [4]) libentius suscipiebant Romani et ambitione ducti non erubescebant, ut videbatur ex animi sententia, eos defendere, quos sontissimos cognoverant cumque quibus gravissimas exercuerant inimicitias. Quid attinet CICERONIS pro GABINIO, pro C. ANTONIO, immo pro VATINIO et BESTIA memorare orationes [5])? Inde explicandum est illud, quod Ictis nostro tempore sine dubio vitio verteretur et iure quidem, quod CICERO dicit pro CLUENTIO [6]): „errat vehe„menter si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis „habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere „putat. Omnes enim illae orationes causarum et tem„porum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum. „Nam si causae ipsae pro se loqui possent, nemo adhi„beret oratorem" [7]). Sed optime ea dici possunt in civitate „in qua nemini unquam infimo maiores pa„tronum deësse voluerunt" et in qua „a maioribus „tradita erat disciplina ut nullius amicitia quis ad „propulsanda pericula impediretur" [8]).

Cur defenderent Romani „etiam alienissimos" uni-

---

[1]) CIC. in Caec. Divin. 22 § 72.

[2]) CIC. p. Coelio 31 § 74. Schol. Bob. p. OR. 229.

[3]) PS. ASC. p. OR. 110. Haec CAESARIS oratio edita erat tempore ASCONII ut ipse testatur apud OR. p. 26.

[4]) Vide plura de hac re apud CIC. de Off. 14 § 49 sqq.

[5]) QUINCT. I. O. XI. 1 § 73.

[6]) CIC. p. Cl. 50. § 139.

[7]) Immo CICERO in nocentissimis reis victoriam iocis adeptus est. MACR. Sat. II. 1.

[8]) CIC. p. Mur. 4 § 10. LUZAC, de Hortensio. p. 136. CIC. p. Sulla 17 § 49.

cuique perspicuum erit qui inspexerit CICERONIS epistolas [1]: „ego de meis ad te rationibus (petitionis) scripsi „antea diligenter. Hoc tempore CATILINAM competito- „rem nostrum defendere cogitamus, spero, si absolutus „erit, coniunctiorem illum nobis fore in ratione peti- „tionis." Si quis ad haec compararit, quae scribit Q. frater in petitione cons. [2]) nil addendum esse puto, quo confirmem forensem laborem commendationem habere in petitione gratiamque parere. Quae fuerit illa lex, quam CICERO dicit [3]) se „iam quidem tulisse de „civium periculis defendendis" non potest melius inintelligi, quam ex verbis Q. fratris l. l. i. e. ut civibus defendendis „sui faceret studiosos atque ut ita homo „novus ad honores perveniret." Dubitatur tamen de defensione CATILINAE a CICERONE, locumve habuerit, nec ne [4]); FENESTELLA [5]) enim scribit CICERONEM defendisse CATILINAM, cui fidem non habet ASCONIUS. Tamen ratio ab ASCONIO adducta non admodum probanda videtur. Intererat ipsius CICERONIS ut CATILINA absolveretur, tum ob ea quae ipse scribit [6]), tum quod optatum debebat accidere CICERONI ut CATILINAM haberet competitorem; nam eo modo facilior aditus patebat ad consulatum. ANTONIO enim iam propter patris nomen suffragabantur multi [7]), CICERONI erat

---

[1]) v. c. CIC. ad Att. I. 2.
[2]) Q. fr. de pet. cons. 5 § 19, 20.
[3]) CIC. p. Mur. 3 § 5.
[4]) BRÜCKNER, CICERO num CATILINAM repetundarum reum defenderit. Schweidnitz 1844. et eiusdem doctissimi scriptoris op l. Sectio X. p. 184—188.
[5]) FENESTELLA. ap. ASC. p. OR. 85.
[6]) CIC. ad. Att. I. 2.
[7]) Asc. ad orat. in Toga Candida. p. OR. 98.

necessarium ut suffragia in multos competitores dividerentur. Nam certo sciebat „*se imperaturum si divideret.*"

II. Q. CAECILIUS METELLUS PIUS SCIPIO.

Accusatus est a M. FAVONIO a. u. c. 695. a. C. 59 CAESARE et BIBULO coss.; non a. u. c. 694. a. C. 60 ut scribit REIN. [1]) Unicus locus de hac accusatione est apud CICERONEM [2]) in epistola quae data est a. u. c. 695. a. C. 59 mense Iunio ut initium epistolae indicat. In § 9 haec leguntur: „FAVONIUS meam tribum „tulit honestius quam suam; LUCCEII perdidit. Accusavit „NASICAM inhoneste ac modeste tamen dixit ut Rhodi „videretur molis potius, quam MOLONI operam dedisse. „Mihi quod defendissem leviter succensuit. Nunc tamen „iterum petit Reip causa." Ad hunc unicum locum plura sunt tractanda. Et iam statim oritur quaestio quibus in comitiis FAVONIUM superarit SCIPIO. Credo in petitione trib. pl. Nam FAVONIUS hoc ipse anno iam erat Senator igitur quaestura functus; — iuravit enim in legem CAESARIS agrariam sed ita ut post CATONEM iuraret [3]) quem adeo imitabatur ut omnes qui de eo scribunt de illo imitandi studio agant; immo dicebatur CATONIS simius. [4]) FAVONIUS a. u. c. 704. a. C. 50 petiit praeturam i. e. novem annis postquam in tr. pl. repulsam tulerat. [Verisimile non videtur FAVONIUM a. u. c. 695 aedilitatem petisse, postque novem tandem annos praeturae studuisse; minor praeterea fuisse videtur CATONE, qui a. u. c. 692 tr. pl. erat [5]), ut etiam

[1]) REIN. op. l. p. 729.
[2]) CIC. ad Att. II. 1.
[3]) PLUT. Cat. Min. 32. DIO CASSIUS XXXVIII. 7.
[4]) DRUM. III. p. 32 sq. ibique plures auctores.
[5]) [CIC. p. Mur. 38 § 81.]

ea de causa putem eum a. u. c. 695 in tr. pl. petitione repulsam tulisse.] Non est damnatus SCIPIO, nam postea consulatum petiit ex qua petitione iterum de ambitu reus actus est a. u. c. 702. a. C. 52. NASICAM accusavit scribit CICERO, quoniam ille erat adoptatus a Q. CAECILIO METELLO PIO [1]). Quod tamen PIGHIUS l. l. memorat hunc METELLUM SCIPIONEM fuisse quaestorem urbanum CICERONE et ANTONIO coss. admodum incertum videtur neque hoc per tempus convenit petitioni tr. pl. quae incidit in a. u. c. 696. a. C. 58. Igitur melius videtur, quum PIGHIUS nullum adducat testimonium, quumque quod sciam CICERO de eo nunquam agat, quamquam satis copiosus est in consulatu suo enarrando, hanc rem in medio relinquere. Editores permulti sunt locuti de scriptione huius loci idque ea de causa, quod quum lusum verborum in ea sententia viderent, nescirent, quid statuendum esset de ceteris vocc. huius sententiae: „accusavit NASICAM *inhoneste* ac *modeste* tamen dixit, ut „Rhodi videretur *molis* potius, quam MOLONI operam „dedisse." Qui non rhetori operam dedit, sed multum usus est servis in molis, in pistrino, certe non modeste dicit, sed conviciis, iurgiis utitur et ut iam ab aliis dictum est *moleste* dicit. Praeterea FAVONIUS, qui repulsam tulit non accusavit NASICAM *inhoneste* sed *honeste;* poterat id optime facere, nam solebant ita illi, qui repulsam tulerant; illud *in* repetitum est ex praecedente *m* et

---

[1]) PIGHIUS a. u. c. 690. a C. 63. (ex PIGHII computatione) III. p. 324. Erat hic SCIPIO testamenti in genus et hereditatem METELLI PII adoptatus. DIO CASSIUS XL. 51. Quum adoptabatur iam filiam eum habuisse inde conficio quod PLUT. Pomp. 55. eius filiam appellet CORNELIAM.

CICERO mihi videtur scripsisse: „Accusavit NASICAM *ho-* „*neste* ac *moleste* tamen dixit ita ut Rhodi videretur „*molis* potius quam MOLONI operam dedisse."

III. L. BESTIA.

Accusatus est de ambitu CN. CORNELIO LENTULO MARCELLINO, L. MARCO PHILIPPO coss. a. u. c. 698. a. C. 56 ut apparet ex epistola CICERONIS ad Q. fratrem [1]): „a. d. III Id. Febr. dixi pro BESTIA de ambitu apud „praetorem CN. DOMITIUM in foro medio maximo con- „ventu." Ex hoc loco vel potius ex tempore quo haec causa acta est apparet L. BESTIAM anno superiore i. e. a. u. c. 697. a. C. 57. praeturam petiisse atque in ea petitione repulsam tulisse unde sponte apparet opinionem PIGHII esse falsam scribentis [2]) eum *aedilem* pl. fuisse C. CALPURNIO PISONE et A. GABINIO coss. a. u. c. 696. a. C. 58; fuit enim [aedilis] anno superiore ut sequitur ex ordine magistratuum, quem iam saepius laudavi. Eundem hominem CICERO postea sic depinxit [4]): „Quid „BESTIAM qui consulatum in BRUTI loco se petere pro- „fitetur, atque hoc quidem detestabile omen avertat „IUPITER! quam absurdum autem, qui praetor fieri non „potuerit, eum petere consulatum! nisi forte damnatio- „nem pro praetura putat." Est ille BESTIA defendente CICERONE quinquies absolutus. Ex locis Philippicarum l. l. apparet BESTIAM [quamvis antea damnatum] iam fuisse in patriam reversum. Poena in eum constituta videtur igitur sublata esse decreto vel lege CAESARIS de

1) Cic. ad Q. fr. II. 3 § 6.
2) Pigh. Ann. III. p. 362. m.
3) Drum. III. p. 97. n. 36. V. p. 663 sq. in notis.
4) Cic. Phil. XI. 5 § 11. Cf. Phil. XIII. 12 § 26. ubi dicit BESTIAM *aedilitium*, CIC. p. Coel. 11 § 26.

revocandis vel restituendis exsulibus de qua tam saepe CICERO locutus est in Philippicis.

IV. P. SESTIUS.

Postulabatur eodem anno, quo BESTIA damnatus est, duorum criminum nempe de ambitu ab indice CN. NERIO et eodem die de vi a quodam M. TULLIO a. d. III Id. Febr. [1]). Posteriore in causa quid actum sit optime scimus, quoniam CICERONIS oratio pro SESTIO reo de vi ad nos pervenit: de priore multo minus novimus. P. SESTIUS sine ulla dubitatione petitus est de ambitu ex eadem lege ac BESTIA: rei enim erant eodem tempore ut scribit CICERO; at in locis ubi agitur de SESTIO, non agitur de lege Tullia, sed de lege Pompeia, quae lata est in tertio illius consulatu a. u. c. 702. a. C. 52. Certe APPIANUS hac de re diserte scribit [2]); secundum eum P. SESTIUS damnatus est δωροδοκίας ἢ πλήθους δεκασμοῦ nam scribit πάντων φυγὴ κατέγνωστο i. e. omnibus aqua et igni interdictum est. Quamvis REIN [3]) scribat SESTIUM fuisse absolutum CICERONEMque fuisse ex iudicibus huius rei ne vestigium quidem repperies; nisi quod legitur apud CICERONEM [4]): „is ad me venit (TIGELLIUS) „dixitque iudicem operam dare sibi constituisse eo ipso die, quo de SESTIO nostro *lege Pompeia* „in consilium iri necesse erat." Ex quibus verbis non satis liquet, opinor, fueritne CICERO in iudicum numero in illa causa necne. SESTIUM esse absolutum petit REIN fortasse ex altero loco CICERONIS [5]). Sed licet SESTIUS

1) CIC. ad. Q. fr. II. 3 § 5.

2) APP. de B. C. II. 24.

3) REIN. op. l. p. 713. f.

4) CIC. ad Att. XIII. 49. Haec epistola data est VI vel VII annis post illud iudicium certe secundum APPIANUM.

5) CIC. ad Att. XIV. 1.

eo tempore Romae fuerit, nihil aliud hoc esset, nisi quod eodem modo ac BESTIA fuerit ab exilio revocatus vel quod usus sit beneficio legis CAESARIS, quam scriptores interque eos REIN non laudant: „nudatos opere „censorio, aut sententia iudicum de ambitu condemna- „tos restituit" [1]). Hoc modo testimonia CICERONIS et APPIANI optime conciliari possunt. In iudicio de vi SESTIUS erat absolutus omnibus sententiis [2]) nam hunc l. l. esse intelligendum de iudicio de vi apparet ex iis quae sequuntur, quod VATINIUM a quo palam oppugnabatur SESTIUS conciderit, Dis hominibusque plaudentibus.

V. M. CISPIUS.

De huius caussae dictione non multum memoriae traditum est; ex verbis quae LATERENSIS obiicit CICERONI: [3]) „Quousque ista dicis? nihil in CISPIO pro- „fuisti. Obsoletae iam sunt preces tuae" apparet CICERONEM defendisse CISPIUM eumque esse damnatum, quod confirmatur Schol. Bob. testimonio. [4]) Fuit M. CISPIUS tr. pl. eo anno, quo CICERO ab exilio est in patriam reversus, LENTULO SPINTHERO, METELLO NEPOTE coss. igitur a. u. c. 697. a. C. 57; causa acta est ante Plancianam igitur ante a. u. c. 700. a. C. 54; nam eo tempore iam damnatus erat. Non temere igitur eum agere opinor, qui dicat M. CISPIUM fuisse de ambitu postulatum postquam tr. pl. egisset. Idem cadit in P. SESTIUM, cuius iudicium tamen postea actum est ut vidimus. REIN scribit incaute: „der Tribun „M. CISPIUS wurde angeklagt."

---

1) SUET. Iul. 41.
2) CIC. ad Q. fr. II. 4.
3) CIC. p. Pl. 31 § 75.
4) Schol. Bob. p. OR. 267.

CICERO praedicat uno et altero loco quid CISPIO debuerit. [1])

VI. L. SEMPRONIUS ATRATINUS.

Postulatus est de ambitu a. COELIO RUFO eodem, quem CICERO postea defendit. ATRATINUS absolutus est sed COELIUS „absolutum ne absolutum quidem esse „patiebatur." Iterum enim eum vocavit in iudicium et iterum de ambitu. [2]) Quod dicitur CICERO fuisse ATRATINI patronus indicare videtur locus in orat. p. COELIO: [3]) „atque ut iste interpositus sermo deliciarum „desidiaeque moreretur (fecit me hercle invito et mul- „tum repugnante sed tamen fecit) nomen amici mei de „ambitu detulit;" cum quo loco coniungendus est alter „locus eiusdem orationis: [4]) „tecum ATRATINE lenius „agam, quod et pudor tuus moderatur orationi meae „et *meum* erga te parentemque tuum *beneficium* tueri „debeo." [Quid factum sit de altera COELII postulatione nescio; neque huius rei disertum invenitur testimonium; [5]) fortasse accusator rem missam fecit postquam ipse ab ATRATINI filio, reus ageretur de vi; sic etiam post postulationem, accusationem omisit, qui

VII. A. GABINIUM consulem designatum, CAESARE et BIBULO coss. a. u. c. 695. a. C. 59 de ambitu C. CATO adolescens nullius consilii, postulare volebat, sed frustra, tum quod praetores diebus aliquot adiri non possent, tum

---

[1]) CIC. p. p. Sest. 35 § 76. p. Red. in Sen. 8 § 21.

[2]) CIC. p. Coel. 7 § 16. 23 § 56. 31 § 76. 32 § 78 et saepius.

[3]) Ibid. 31 § 76.

[4]) Ibid. 3 § 7.

[5]) QUINCT. I. O. XI. 1. § 68. cf. DRUM. II. p. 376. V. p. 704. qui tamen de probabili secundae actionis nihil dicit. [CIC. p. Coel. init. 7 § 16 et saepius.]

praesertim quod optimatium factio cuius CATO fautor erat eo tempore democratica longe erat inferior ita ut CICERO dicat: „rempublicam funditus amisimus." [1])]

Plures caussae dictiones ex lege Tullia ante legem Liciniam de sodaliciis non inveni, at illud animadvertendum est, praeter causam Q. CAECILII METELLI PII SCIPIONIS (nàm P. SESTIUS qui causam dixit ex lege Pompeia hic in censum non venit, quamvis eum accusatum de ambitu CICERO de vi etiam defenderit) CICERONEM omnibus ex sua lege reis [quos novimus] patronum exstitisse; quumque uteretur peroratione flebili vel miserabiliore v. c. in causa MURENAE [2]) et in causa CISPII [3]) acerbissime in eum hunc aculeum iecit LATERENSIS PLANCII accusator, [4]) CICERONEM idcirco lege sua exilio ambitum sanxisse ut miserabiliores epilogos dicere posset.

§ 7.

De Sctis, et de Lege Aufidia,

latis A. U. C. 693. A. C. 61.

Dicendum nunc est

A. De Sctis duobus et

B. De lege Aufidia,

quae ante legem Liciniam, post legem Tulliam lata sunt.

Lex Tullia ambitum e Rep. non sustulit. Graviores poenas in reos statuere, quid attinet „si illarum legum auctores" sontissimos reos ita defendunt ut absolvantur.

---

1) [CIC. ad Q. fr. I. 2. c. 5.]
2) CIC. p. Mur. 40 § 80 sqq.
3) CIC. p. Coel. 31 § 76.
4) CIC. p. Planc. 34 § 83. Schol. Bol. p. OR. 269.

Quod CATO recte CICERONI obiecit, qui se revera una exceptione defendit, se nempe caussam MURENAE suscepisse quod necessarium esset, ut Kal. Ianuar. duo consules in Rep. essent. [1])

Mentio fit duorum Sctorum in egregia CICERONIS epistola, [2]) quae multa scitu digna continet de historia illorum temporum (a. u. c. 693. a. C. 61) praesertim de CLODII facinoribus, quae dictis facetis et acerbis scatet: Magistratus illius anni videbantur ambitui favere, idcirco CATONE et DOMITIO referentibus duo Scta facta sunt odiosa quod in consulem facta esse videbantur [3]) nempe in M. PISONEM eo anno consulem cum M. VALERIO MESSALA NIGRO, quibus Sctis cautum:

I. Ut apud magistratus inquiri liceret.

II. Cuius domi divisores haberent adversus Remp. [4])

Ad I. Haec explicantur optime verbis CICERONIS mox sequentibus l. l. „Consul autem ille (PISO) suscepisse „negotium dicitur" (nempe ut L. AFRANIUM ex voluntate POMPEII consulem creandum curaret omni largitione) „et domi divisores habere"; igitur hoc Scto cautum ut liceret inquiri apud magistratus an candidatis modo illicito faverent domi.

Ad II. Quamquam rem criticam non ago, quoniam hoc onus nequaquam sustinere possem, aliquid tamen dicendum est de ultimo loco, qui in editionibus diversis diverse legitur. Scriptum est a LAMBINO: „*cuius domi* „*divisores haberent* adversus Remp." idque recte ut mihi videtur; nec satis mirari possum ORELLIUM scribentem

---

[1]) Cic. p. Mur. 2 § 4. 37 § 79.
[2]) Cic. ad Att. I. 16.
[3]) Cic. ad Att. I. 16.
[4]) Cic. Ep. l. § 12.

in novissima editione *cuicuimodi*, neque eos, qui *haberentur* legunt, quum *habere* sign. *habitandi* saepius legatur apud CICERONEM [1]). Sctum II pendet a priore; nam erat cautum ut inquiri liceret apud magistratus, quoniam PISO non carebat suspicione quod domi divisores haberet. Addita est poena ex Scto altero ut is cuius domi divisores haberent i. e. qui continuo essent occupati nummis dividundis, adversus Remp. fecisse videretur. POMPEIUS hac in re multum adiuvit AFRANIO, qui etiam designatus est; quod scimus tum ex CICERONE l. l. tum ex PLUTARCHO narrante [2]) POMPEIUM corrumpere voluisse CATONEM MINOREM διὰ τῆς οἰκειότητος, matrimonio ineundo cum CATONIS vel illius sororis filia, quod quum ei non cesserit pecunia pronuntiasse tributim ὑπὲρ Ἀφρανίου quae dividebatur in hortis POMPEII [3]).

Loco a REINIO [4]) laudato ex Planciana [5]): „Illud vero „crimen de nummis, quos in circo Flaminio deprehen„sos dixisti caluit re recenti, nunc in causa refrixit," permulti possent addi; nam in unoquoque iudicio sermo erat de pecuniis deprehensis [6]). Sed habent illi loci nihil commune cum Sctis de quibus nunc agimus. Erant illa privilegia fere in PISONEM consulem. Quae apud CICERONEM l. l. l. l. leguntur erant vetita in unoquoque candidato et puniebantur ex unaquaque lege de ambitu. Circus Flaminius adhibebatur pecuniis dividundis, quoniam illuc solebant Romani tenuiores convenire,

---

1) Vide v. c. CIC. p. Rosc. Am. 46 § 132.
2) PLUT. Pomp. 44.
3) Idem narratur a PLUT. Cat. Min. 30.
4) REIN. op. l. p. 713.
5) CIC. p. Planc. 23 § 55.
6) Vide CIC. p. Mur. 26 § 54.

mathematici, sortilegi, aliique id genus, ubi igitur laeta seges erat corrumpentibus [1]). CICERO in eadem epistola post duo Scta memorat legem AUFIDII LURCONIS in qua id esset novi ut qui nummos in tribus pronuntiasset, si non dedisset impune esset; sin dedisset ut quoad viveret singulis tribubus tria millia HS. deberet. Lata est haec lex eodem anno quo duo illa Scta, igitur a. u. c. 693. a. C. 61. Iam locus ubi haec narrantur est accuratius pertractandus. Lex talibus verbis concepta est ut difficile aliquis dicat quid hac lege cautum sit „ut „quoad vivat tria millia HS. singulis tribubus debeat." Quid hoc significat? Interpretes dicunt *quotannis*, sed ubi hoc legitur? Is qui tribubus pronuntiavit et dedit argentum quo suffragia emeret sine dubio est ambitus damnatus. In exilium igitur eo tempore abiit. Quis solvet tria millia HS? Praesertim cum ei, qui largitione magistratum obtinebant erant aere alieno obruti quod v. c. in MILONIS [2]) et CAESARIS [3]) exemplis luculenter ostenditur. Erat haec lex lata in commodum CLODII et Clodianorum a LURCONE tr. pl. quod ex loco CICERONIS perspicuum est. Nam rem εἰρωνικῶς proponit quippe AUFIDIUS LURCO *homo claudus*, *bono auspicio* suam legem promulgavit solutus lege Aelia et Fufia. Et totam rem ioco quodam in CLODIUM convertit: „CLODIUM hanc legem „iam diu servasse; *pronuntiare* enim solitum esse et „*non dare*." Ceteroquin haec lex non perlata est ut apparet ex CICERONE [4]) qui huius anni historiam bre-

---

[1]) Dicitur ab HORATIO Circus fallax. HOR. Sat. I. 6. 113.

[2]) MILONIS bona semuncia venierunt propter aeris alieni magnitudinem. ASC. p. OR. 54.

[3]) REIN. op. l. p. 714. n. (*)

[4]) CIC. ad Att. I. 18 § 3.

viter enarrans sic scribit: „afflicta resp. est emto con„stupratoque iudicio (nempe CLODII; [1])) vide quae sint „postea secuta. Consul est impositus is nobis quem „nemo praeter nos philosophos adspicere sine spiritu „possit. Quantum hoc vulnus? Facto Scto de ambitu" (nempe referentibus CATONE et DOMITIO) „de iudiciis[2]), „nulla lex perlata" [3]) cett. Quam parum haec omnia effecerint ad ambitum comprimendum apparet ex petitione CAESARIS et BIBULI. Sequentibus annis ambitum in Rep. Romana non quievisse inde confici potest, quod SESTIUS postulatus sit de ambitu a. d. III Id. Febr. quodque eo die Sctum factum sit de sodaliciis et quod die sequenti CICERO L. BESTIAM de ambitu defenderit [4]). In temporibus hisce iam primordia videmus belli civilis vel potius contentionis POMPEIUM inter et CAESAREM. Huius acta tam grata erant populo ut pecuniam ei mittendam sciverit [5]) eumque omni admiratione sit prosecutus. Quod quum videret POMPEIUS intelligeretque se solum ei parem non esse, adiunxit sibi CRASSUM ut sic coniuncti CAESARI obstarent [6]). Petierunt igitur consulatum POMPEIUS et CRASSUS, quamvis non professi essent ἐπήγγειλαν ἔξω τῶν χρόνων τῶν ἐν τοῖς νόμοις διῃρημένων [7]).

---

1) Cic. Ep. ad Att. I. 16.

2) Cic. Ep. ad Att. I 17 § 8.

3) Carpendus est CORRADUS. qui ad hunc locum annotat; „Facto „Scto ut LURCO de ambitu ferret." „Sed AUFIDIUS LURCO legem promulgavit; Sctum factum est antea. Cic. Ep. I. 16 § 12, 13. neque Senatus tali homini sed consulibus rem mandasset ut vidimus in CALPURNIO et PISONE; CICERONE cett.

4) Cic. Ep. ad Q. fr. II. 3 § 5 sq.

5) Dio CASSIUS XXXIX. 25.

6) Dio CASSIUS XXXIX. 26.

7) Dio CASSIUS XXXIX. 27. Fecit CAESAR iam his temporibus,

nam hoc intelligendum esse de professione apparet ex fine illius capitis: posse eos post interregnum secundum leges κατὰ τοὺς νόμους magistratum capere. Priorem consulatum ii gesserunt a. u. c. 684. a. C. 70. igitur de prohibitione ex lege Cornelia h. l. sermo esse non potest [1]). Antequam tamen de eorum consulatu vel legibus aliquid dicamus, verbo monendum est de Scto lato CN. CORN. LENTULO MARCELLINO, L. MARCIO PHILIPPO coss. anni superioris, quibus coss. PLANCIUS tr. pl. fuit [2]) a. u. 698. a. C. 56. Quo anno Sctum factum est „ut „sodalitates decuriatique discederent, lexque de iis „ferretur, ut qui non discesserint ea poena, quae est „de vi tenerentur" [3]). Videbimus ad legem Liciniam etiam de significatione huius Scti quod cum ipsa lege de sodaliciis arcte cohaeret.

---

quod postea fecit quum palam inimicitias gerebat cum POMPEIO ut qui liberius vixerunt pecunia alliceret ut a suis starent partibus. — Notum est illud de CURIONE aere alieno obruto:

„Vendidit hic auro patriam dominiumque potentem,
„imposuit."

VIRG. Aen. VI. 621.

„Momentum fuit mutatus CURIO rerum
„Gallorum captus spoliis et CAESARIS auro."

LUC. Phars. IV. 819.

Vide MIDLETON. Life of CICERO II. p. 37. Ed. Lond. 1823. A. WEICHERT. de L. VARII et CASSII PARMENIONIS vita et carminibus. Grimae 1836. p. 104 sqq.

1) Vide supra p. 61, 64.

2) CIC. ad Q. fr. II. 1 f.

3) CIC. ad Q. fr. II. 3 § 5.

§ 8.

Lex Licinia, de sodaliciis. [1])

A. U. C. 699. A. C. 55.

„CN. PLANCIUS [2]) petitus est reus de sodaliciis lege „Licinia, quam M. LICINIUS CRASSUS, POMPEII MAGNI col- „lega in consulatu suo pertulit," (non additur in II consulatu) „ut severissime quaereretur in eos candi- „datos, qui sibi conciliassent ea potissimum de causa „ut per illos pecunia' tribulibus dispertirent ac sibi „mutuo eadem suffragationis emtae praesidia communi- „carent." Hoc loco igitur docetur in quos haec lex lata fuerit. MOMMSEN [3]) sic scribit: „post vocabulum con- „ciliassent verbum videtur excidisse quod *sodales* vel „*amicos* fuisse puto. *Candidatos* qui suppleret ad coi- „tionem candidatorum rem converteret. [4]) Candidati „enim non conciliantur ut per illos pecunia tribulibus „dispertiatur; verba aperte significant ministros et ad- „iutores in largiendo." Haec ille, quibus superstruit suam disputationem, quae ex omni parte vera esse nequit, quippe falso nixa argumento. Videtur haec coniectura non esse accipienda; nam quidquid inseras h. l. post voc. conciliassent, vide ut conciliari possint cum ultimis vocc. „*ac sibi mutuo eadem* suffra- „gationis emptae praesidia communicarent." Haec sunt sine ulla dubitatione referenda ad coitionem; nemo ne- gabit; quod si illa coitio non pertinet ad legem Liciniam nil superest quam ut falsam hanc opinionem Schol.

---

1) De sodaliciis vid. DRUMAN. VI. p. 47 sqq.

2) Schol. Bob. p. OR. 253.

3) MOMMSEN. op. l. p. 55.

4) [Sed quid, si haec accipienda sunt de candidatis aliorum honorum?]

Bobiensi restituamus. Nec video cur MOMMSEN huic loco, quem primum coniectura ut mihi videtur infelici supplevit tantam attribuerit auctoritatem, quum vocabulis, quae statim sequuntur nullam fidem habeat. Alia praeterea contra MOMMSENII opinionem facere videntur. Ut enim probet quae dicit haec addit: [1]) „conferas etiam quae CICERO respondit cum MURENA „contra legem Calpurniam gladiatores dedisse accusa„retur [2]) „factum a MURENA omnino non est, ab eius „„amicis autem *more* et modo factum est."" [3])

Quod argumentum non capio. Licebat enim ex lege Tullia ut candidatorum amici darent gladiatores, sed non licebat ipsis candidatis. Quis nunc in animum inducet ut contendat si *amici* (nam hoc. voc. inserere vult MOMMSEN), pro candidato pecuniam tribulibus dispertiissent, candidatum acerbissima et severissima lege teneri, severiore quam si ipse ludos cett. dedisset? Quum haec antea *more* fiebant? Nec magis probatur alio loco itidem a MOMMSENIO restituto. [4]) In fine huius disputationis M. [5]) auctoritatem CICERONIS comparat cum Schol. Bob. et duos auctores conciliare cupit; sed operam perdidit, qui praeterviderit, illum de sodaliciis, hunc de coitionibus, i. e. illum de re quam vidit, hunc de re quam ignorabat egisse. Sic reiecto testimonio Schol. Bob. videndum erit de ceteris locis. DIO CASSIUS

---

1) MOMMSEN. op. l. p. 55.

2) CIC. p. Mur. 34 § 72.

3) Etiam hac in re M. errat, quod MURENAM accusatum dicit quod contra legem Calpurniam gladiatores dederit. Erat hoc praeceptum in lege Tullia. Cf. CIC. p. Mur. 32 § 67 et supra p. 117.

4) CIC. p. Mur. 35 § 73.

5) MOMMSEN. op. l. p. 60.

scribit legem esse latam de *ambitu* a POMPEIO et CRASSO qua largitiones coercerentur his verbis [1]: *ταῦτά τε οὖν κυρωθῆναι ἐποίησαν καὶ μετὰ τοῦτο πικρότερα ἐπιτίμια τοῖς δεκάζουσι* [2] *τινὰς ἐπέταξαν· ὥσπερ τοι αὐτοὶ ἔλαττον ὅτι οὐ χρήμασιν ἀλλὰ βίᾳ τὴν ἀρχὴν εἰλήφεσαν, ἁμάρτόντες.*

In eo loco sermo non est nisi de ambitu sicut in ceteris de hoc crimine legibus. Res igitur neque ex DIONE potest cognosci nam quod inde conficit MOMMSEN ex oppositione vocc. *χρήμασι* et *βίᾳ* [3]) in sodaliciario ambitu *nullam vim fuisse* apparere, legemque Liciniam *ambitum largitione commissum* · coerceri ridiculum est, nam quid lex Licinia tunc aliud esset nisi lex de ambitu, neque DIO de alia lege quidquam agit, nam in toto illo loco sermo est de ambitu non de sodaliciis; debebant alia concurrere cum crimine ambitus largitione commissi ut crimen sodaliciorum exstaret. Igitur praeter CICERONEM in oratione pro PLANCIO nemo in partes vocabitur auctor classicus. Et statim ipsa verba orat. pro PLANCIO [4]) obstant MOMMSENII opinioni: „nomine „legis Liciniae, quae est de sodaliciis omnes ambitus „leges complexus est" proque mea sententia pugnant. Nec opus tamen est ut ad WUNDERI opinionem confu-

---

1) DIO CASSIUS XXXIX. 37.

2) *Δεκάζειν* sign. ut etiam MOMMSEN. op. l. 43. n. 1 indicavit: *ambire*, non *decuriare*. Sic DIO CASSIUS XXXVII. 29. *ἔδοξε τῇ βουλῇ — τοῖς ἐπιτιμίοις τοῖς ἐπὶ τῷ δεκασμῷ τεταγμένοις προσνομοθετῆσαι*. Vide eundem de lege Calpurnia XXXVI. 21. de lege POMPEII ex qua MILO reus erat. XL. 52 cett. Cf. porro TYDEMAN. de Rebus iudicatis non rescindendis. p. 103. n. *Δεκάζειν* iure Attico dicitur de iudicibus corruptis, cf. v. c. ISOCRATIS Orat. de Pace § 50 ed. BEKKERI.

3) MOMMSEN. op. l. p. 47.

4) CIC. p. Planc. 15 § 36.

giamus, qui putat CRASSUM praeter hanc legem de sodaliciis aliam etiam tulisse de ambitu coercendo, quodque conficit ex l. l. DIONIS CASSII et ex verbis CICERONIS: [1]) „quae comitia primum habere coepit consul, quum „omnibus in rebus summa auctoritate, tum *harum* „*ipsarum legum ambitus auctor.*" [2]) Reiecit hanc opinionem MOMMSEN [3]) et iure est hoc argumento usus quod rem dirimit: „harum ipsarum legum" male esse dictum si ad aliam praeterea CICERO respiceret i. e. ad aliam legem quam ex qua PLANCIUS reus erat. Vereor ne audaciae immo arrogantiae reus fiam, si tot tantisque viris dissentientibus iuvenis admodum meam qualemcunque opinionem in medium proferam; sed tamen faciam et primum apponam locos ut ex iis opinionem meam petam.

CICERO scribit [4]): „*decuriatio tribulium, descriptio po*„*puli, suffragia largitione devincta* severitatem Senatus „et bonorum omnium vim [5]) ac dolorem excitarunt. „Haec doce, haec profer LATERENSIS, *decuriasse* PLAN„CIUM, *conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse,* „*divisisse.*" Suffragia largitione devincta, sequestrem fuisse, pronuntiare, dividere, haec omnia pertinent ad communem ambitum et erant opinor omnibus legibus de ambitu vetita, cetera restant igitur singularia in hac sodaliciorum causa.

---

[1]) Ibid. 20 § 49.

[2]) WUNDERUS Proleg. ad Planc. l. III. c. 3 § 1. ORELL. totam WUNDERI de Lege Licinia disputationem inserit Onom. Tull. Ind. Leg. p. 200—210.

[3]) MOMMSEN. op. l. p. 43.

[4]) CIC. p. Planc. 18 § 45.

[5]) [l. iram.]

„Sic tu doce, *sequestrem fuisse*, *largitum esse*, *con-„scripsisse*, *tribules decuriasse*. Quodsi non potes" cett. [1]) Quibus praemissis sic pergit orator: „itaque haesitan-„tem te in hoc sodaliciorum tribuario crimine ad com-„munem ambitus causam contulisti in qua desinamus „aliquando si videtur vulgari ac pervagata declama-„tione contendere" i. e. quum quae proprie ad sodaliciorum crimen pertinent docere, demonstrare non potes, videamus de communi ambitu „doce id quod debes, ait, „per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit (tribus una vel altera). Igitur *decuriatio tribulium*, *conscriptio* et *descriptio populi* pertinent ad sodaliciorum crimen. Quae qualia sint MOMMSEN [2]) explicat recte ut mihi videtur comparatione legis Clodiae de collegiis, adducitque unum alterumque locum ex CICERONE, nempe: „servorum [3]) delectus habebatur pro tribunali AU-„RELIO, nomine collegiorum, cum vicatim homines con-„scriberentur, decuriarentur, ad vim, ad manus, ad „direptionem incitarentur" [4]). Illa collegia [5]), quae WOLFIUS ad l. orat. p. domo Anglice *Clubs* vocat, erant constituta si CICERONI credas, *ad vim*, *ad manus*, *ad direptionem*, quod in PLANCIUM opinor non cadit. Attamen nullam video causam cur iis non usus sit aliquis in honore adipiscendo quod MOMMSEN verbis non argu-

---

[1]) CIC. p. Planc. 19 § 47.

[2]) MOMMSEN. op. l. p. 57.

[3]) CIC. p. Sest. 15 § 34.

[4]) CIC. p. Sest. 25 § 55. p. domo 5 § 13. p. red. in Sen. 13 § 33; ad hanc rem etiam pertinere videntur CIC. orat. in Pis. 5 § 11. 10 § 23. aliaque.

[5]) BOUCHAUD. p. 416 seq. dicit, illa collegia esse ditissimorum hominum, maxima pollentium auctoritate; quod sine dubio falsum est.

mentis reiicit [1]); neque tamen assentior WUNDERO [2]), SIGONIUM [3]) secuto, qui totam sodaliciorum causam refert ad vim [4]). *Tribules decuriare* is dicitur, qui tribules suos in decurias vel in classes quasdam distribuit, praeponens singulis decuriis decurionem cuius id est efficere ut in comitiis decuriae suae adscripti eam ferrent sententiam, quam ferri vult is, qui tribules dicitur decuriare. Eo modo opus non erat ut candidatus ipse prensaret, sed sola pecuniae largitione hoc curare debebat ut tot haberet decuriones i. e. sodales vel amicos, qui sibi possent *tribus conficere*, vel qui tot homines in maiore parte tribuum sibi devincirent ut candidatus pro quo laborabant eam tribum ferret [5]). Idque decuriones poterant vel vi vel pecunia efficere; ex decuriatione igitur sequi potest vel creatio candidati per largitionem vel per vim vel per utrumque simul. Eodem modo *descriptio* vel *conscriptio* populi locum habebat hoc discrimine ut decuriatio de tribulibus, descriptio de reliqua multitudine dicta esse videatur [6]). Quod si verum est quod dicit WUNDERUS, decuriones illos esse intelligendos *sodales*, quantum *sodalitates* mutatae tunc erant ab antiquis illis, ubi sodales inter necessarios, cognatosque numerantur [7]). Eodem modo tunc explicanda

---

1) MOMMSEN. op. l. p. 59 sq.

2) WUNDERUS Prol. III. 3 § 2.

3) SIGONIUS de Iud. II. 30.

4) His etiam assentitur G. DE MAN in diss. l. p. 37 init.

5) Cf. CIC. p. Planc. 15 § 37.

6) Haec pleraque petii ex WUNDERI comment. ad Planc. 18 § 45. cui assentitur MOMMSEN. op. l. p. 58 n. 12. Quae quamquam non ex omni parte mihi satisfaciunt, tamen adscripsi. Meliora enim non habeo.

7) Vide MOMMSENIUM p. 3. qui tamen fallitur locum CIC. de Or. II. 49 § 200. sodalitati tribuens, quod et mox dubitanter n. 9. retraxit,

esse puto, (qua in re haeret MOMMSEN [1])) verba Scti supra allati: „ut sodalitates decuriatique discederent i. e. ut sodales, decuriones, ut decuriae ab iis compositae discederent, dissolverentur. Sodales illi antiquorum temporum cum Graecorum συσσιτίοις posses comparare, quippe qui ut est apud FESTUM [2]) dicti sint sodales quod una sederent et essent, vel „quod ex suo „datis vesci soliti sint, vel quod inter se invicem sua„derent, quod utile esset." Quae postea in peius quum essent mutata, neque quid utile esset suaderent, sed quomodo Remp. everterent ἑταιρείαις comparari possunt de quibus GAIUS [3]): „sodales sunt, qui eiusdem collegii „sunt, quam Graeci ἑταιρίαν [l. ἑταιρείαν] vocant. His autem „potestatem facit lex pactionem, quam velint sibi ferre „dum ne quid ex publica lege corrumpant." Videntur igitur sodalitates admodum liberae füisse, quamvis lege quadam nonnulla essent de iis sancita ut ex h. l. apparet [4]). Quid Graeci dixèrint sodalicia vel collegia dicitur a MOMMSENIO [5]), qui haec omnia tam accurate tractavit, ut a iuvene meliora certe nemo sit postulaturus.

---

quamvis certum sit hoc dici de praetore et quaestore. Vide similes locos in orat. p. Planc. 11 § 28. Divin. in Caec. 19 § 62. et omnino Leg. Serviliam ed. KLENZE Berol. 1825. p. 36, „ne quis ex „ea lege iudex sederet in eum, qui reo sodalis, vel cum eo in eodem „collegio fuit. et ibid. p. 39, 43. Sic PLINIUS dicit de quaestore: „quem consul habet filii loco." Ep. IV. 15.

1) MOMMSEN. op. l. p. 45.

2) FESTUS p. 296. MÜLLERI.

3) l. 4. ff. *de collegiis et corporibus.* Omnino conferenda est dissertatio ad tit. ff. de *colleg. et corpor.*, scripta ab J. H. L. BARONE DE WASSENAER. L. B. 1740. Legitur apud FELLENBERGIUM Iurispr. antiqua I. p. 399—445.

4) Cf. omnino quae scripsit REIN. de sodal. op. l. p. 714 sqq.

5) MOMMSEN. op l. p. 35.

Si sermo est de Scto: ut sodalitates decuriatique discederent, statim oritur quaestio etiam a MOMMSENIO agitata, licueritne antiquis temporibus coire? Cui quaestioni M. respondet affirmando quod nulla lex inveniatur, qua ius coeundi sublatum sit, quod per se ut ait, iam sufficeret [1]; nam confirmari *generale* coeundi ius (iam his vocc. recedit aliquantulum ab opinione enuntiata p. 33: „ius coeundi fuit antiquis temporibus, „omnibus concessum, ut tot collegiorum genera fuisse „statuendum sit" cett. [2])) „etiam legibus iis, quae certa „collegiorum genera tollebant" [3]).

Praesertim hic animadvertenda sunt verba ASCONII [4]) de posteriore tempore: „frequenter etiam coetus factio- „sorum hominum sine publica auctoritate malo pu- „blico fiebant propter quod postea collegia Sctis et „pluribus legibus sunt sublata praeter pauca atque „certa" [5]). Haec verba M. bis laudat [6]) et in posteriore loco lapsus esse videtur. Scribit enim ad verba ASCONII: „quas leges significet, ignoro, nisi cogitandum „est de lege quam ex Scto, ut sodales decuriatique „discederent, rogatam esse verisimile est et de lege Licinia.

---

1) MOMMSEN. op. l. p. 33.

2) Saepius idem M. quae in priore periodo aliquantulum longius extendit, retractat in sequenti. Exemplo esto quod monuimus de loco ubi sermo est de quaestore et praetore. Accedunt hic locus et verba p. 54 „quae collatio suffragiorum invicem facta dicebatur coitio, „vel certe pertinebat ad coitionem; quod verius" cett.

3) Cf. tamen omnino G. DE MAN. diss. l. p. 34. n. 16.

4) CIC. pro Corn. p. OR. 75 sqq.

5) In ipso loco CICERONIS ab ASCONIO servato, MOMMSEN. lacunam exiguam sic explet: „qui habet PHILEROTEM...... res vulgare" cett. „(quasi ignora)res vulgare" cett. Quo iure vel qua auctoritate id fecerit non video.

6) MOMMSEN. op. l. p. 34 et 73.

„Iis enim etsi collegia non tollebantur, tamen factioso„rum certe sodalicia sunt discussa." Sed ut iam ipse vidit M., non sermo est de sodaliciis sed de collegiis; rem vero recte intelligemus si in memoriam revocaverimus P. CLODII tribunatum pl., qui cadit in a. u. c. 696. a. C. 58. L. CALPURNIO PISONE, A. GABINIO coss. qui inter alias leges hanc tulit: „nam latae sunt quidem (leges) „ut *collegia* non modo illa vetera *contra Sctum* resti„tuerentur sed ab uno gladiatore *innumerabilia* alia nova „conscriberentur [1]) cett. et de eadem re: „collegia non „ea solum, quae Senatus sustulerat restituta, sed innu„merabilia quaedam nova ex faece urbis ac servitio „concitata" [2]). Igitur de Scto vel de lege ex Scto lata „ut sodales decuriatique discederent" cogitari non potest. Erant ea collegia prohibita ante P. CLODII tr. pl. igitur etiam magis ante a. u. c. 698. a. C. 56, quo anno illud Sctum est factum [3]). Manet adhuc alius scrupulus in verbis ASCONII [4]). Legitur enim: „L. IULIO, C. MARCIO „coss. Scto collegia sublata sunt, quae adversus remp. „videbantur esse; post novem deinde annos quam sublata „erant P. CLODIUS tr. pl. lege lata restituit collegia." P. CORNELIUS defensus est a CICERONE a. u. c. 689. a. C. 65 [5]). Postea igitur illud Sctum factum est et sponte iam concidunt HOTOMANNI aliorumque coniecturae [6]) de L. CAECILIO et MARCIO coss. a. u. c. 686. a. C. 68. Factum

---

[1]) Cic. p. Sest. 25 § 55.

[2]) Cic. in Pis. 4 § 9. cf. IAC. TUNSTALL. in Ep. ad C. MIDDLETON. p. 66. Cantabr. 1741. Asc. ad h. l. p. OR. 8.

[3]) Vide MOMMSENIUM p. 76 sqq.

[4]) Asc. p. OR. 7 sq.

[5]) Asc. p. OR. 56.

[6]) Secuti sunt HOTOMANNUM DIRKSEN. et DRUMAN. vide MOMMSENIUM p. 74.

est hoc Sctum anno postquam CORNELIUM defendit CICERO, a. u. c. 690. a. C. 94. CLODIUS hanc legem tulit de collegiis quum PISO et GABINIUS consulatum iam inierunt igitur a. u. c. 696. a. C. 58 [1]); si igitur Romanorum computationem facimus apparet, legendum esse apud ASCONIUM: „post *septem* deinde annos" cett. Unde statim sequitur esse reiiciendam ORELLII coniecturam legentis: *quinque* [2]).

Vidimus in quosnam fuerit lex Licinia lata; restat ut de iudicii forma et de poena ex hac lege agamus.

Latam esse legem POMPEIO et CRASSO coss. II. a. u. c. 699. a. C. 55. satis superque est demonstratum a WUNDERO. [3]) Ambitus species omnes haec lex complectebatur; [4]) hac in re erat praesertim severior quam omnes aliae leges de ambitu, quod ex lege Licinia iudices editicii iudicarent. Multum disputatum est et adhuc disputatur, quinam fuerint iudices editicii, tantaeque exstant in universo de iudicii huius forma controversiae, ut difficillimum esse videatur hanc quaestionem dirimere. [5]) Initium capiemus iterum a loco Schol. Bobiensis [6]):

„Huic factioni legislator coercendae CRASSUS existi-
„mavit etiam genus iudicii multo periculosius compa-
„randum, ut apud iudices editicios accusarentur i. e. ut

---

[1]) CIC. in Pis. l. l.

[2]) ORELL. ad ASC. p. 8.

[3]) WUNDERUS praef. LXXIII. §. 1. quamvis SCHULZE, Von den Volksvers. der R. p. 168. huius rei nullum se argumentum invenisse scribat.

[4]) CIC. p. Planc. 15 § 36. cf. Schol. Bob. p. OR. 261.

[5]) Scriptorum opiniones de iudicibus editiciis collegit REIN. op. l. p. 716. n. **

[6]) Schol. Bob. p. OR. 253.

„pro voluntate accusatoris tribus ederentur ex quibus „unam tamtummodo reiicere posset reus; de reliquis „autem iudices haberentur utique infestissimi causam „dicentibus, utpote quos accusator ad suam voluntatem „praelegisset, edendo eas potissimum tribus quas reo „minus aequas fore arbitrabatur." Quibuscum conferendum alterum eiusdem Schol. testimonium: [1]) „facta „Scti mentione, qui secundum legem Liciniam IV edi „tribus ab accusatore voluerit, ex quibus reo liceret „unam repudiare ut de tribus reliquis iud[icum] [2]) „haberet editionem; tamen ab accusatore sic fieri voluisse „ut eas ederet, quas corruptas a candidato criminare„tur. Hi loci optime conspirant cum CICERONIS testimonio: [3]) „MESSIUS defendebatur a nobis, — tribus „habet Pomptinam, Velinam, Maeciam." Sic in PLANCII causa accusator edidit tribus: Lemoniam, Ufentinam, Crustuminam, Maeciam; igitur quatuor; edidit ultimam non quae iudicaret sed quae reiiceretur. [4]) Mirum haec quae posui ei accidant necesse est, qui legat solum locum l. ex Planciana; nam in eo loco dubitaveris additane sit Terentina tribus iis quae editae fuerint, necne. At verum esse quod dixi evincit alter ex hac oratione locus [5]) ubi CICERO dicit fuisse ex sententia legis Lici-

---

1) Schol Bob. p. OR. 261.

2) Haec ita explevit A. MAIUS vitiose; omnino recipienda est ingeniosissima coniectura MOMMSENII sic legentis: „ut de tribus reliquis „iud[ices] haberet; editionem tamen ab accusatore sic fieri voluisse" cett. Quae quum iam per se satis se commendent non opus est ut addatur ex interpunctione etiam recte voc. *tamen*, suum locum esse restitutum.

3) CIC. Ep. ad Att. IV. 15. data a. u. c. 700. a C. 54.

4) CIC. p. Planc. 16 § 38.

5) CIC. p. Planc. 18 § 44 sq.

niae et ex consilio Senatus ut eae potissimum ederentur tribus, quibus reus maxime notus erat i. e. quas corrupisset. In sequentibus sic pergit orator: [1]) „tum „mirabor te iis armis uti, quae lex tibi dabat, noluisse. „Tribulibus enim iudicibus non modo severitatem illorum, „si ista vera sunt, sed ne vultus quidem ferre posse„mus. Hanc tu rationem quum fugeris, quumque „eos iudices habere nolueris, quorum in huius delicto, „quum scientia certissima, tum dolor gravissimus esse „debuerit" cett. Igitur tribules PLANCII iudices esse noluit LATERENSIS. Ast erat ex tribu Terentina ut indicant verba: [2]) „Voltinia tribus ab hoc corrupta: „Terentinam habuit venalem. Quid diceret apud Vol„tinienses? aut apud tribules suos iudices?" Tres igitur tribus iudicabant, sed difficilior manet adhuc quaestio quomodo iudices ex illis tribubus eligerentur. In diversas partes scriptores diversi abeunt. Primum meam opinionem qualemcunque proferam; aliorum sententiam postea diiudicare conabor. Legitur apud Schol. Bob.: [3]) „quatuor edi tribus ab accusatore, ex quibus reo licuit „unam reiicere ut de tribus reliquis iud[ices] haberet; „editionem tamen ab accusatore sic fieri voluisse ut „eas ederet, quas corruptas a candidato criminaretur" cett. Editio tribuum igitur accusatoris est; sed sola tribuum non tamen iudicum editio, quod etiam satis apparet ex vocc.: [4]) „neque ego nunc consilium repre„hendo tuum quod *non eas tribus*, quibus erat hic „maxime notus *edideris*." Ex illis tribus tribubus iudi-

[1]) CIC. p. Planc. 18 § 45.
[2]) CIC. p. Planc. 17 § 43.
[3]) Schol. Bob. p. OR. 261.
[4]) CIC. p. Planc. 18 § 44.

ces erant eligendi, sed quomodo? Eone modo quo ASCONIUS scripsit? quod singulae tribus ex suo numero iudices „suffragio creabant, qui eo anno iudicarent?" [1]) Haec si vera est opinio (numerus quinorum denorum ut erat ex lege Varia ad nostram causam nil refert) optime convenit cum verbis CICERONIS: [2]) „nos neque ex delectis „iudicibus sed *ex omni populo* neque editos ad reiiciendum „sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus ut „neminem reiiciamus?" Vocabula: ab accusatore constitutos, ita sunt accipienda ut intelligatur: nos non habemus iudices ex quorum numero possumus aliquot reiicere sed accusator eos constituit; i. e. certos habemus iudices delectos ex tribubus, quas edidit accusator nec est praetori hac de re aliqua postestas concessa. Cogitari enim non potest accusatorem ipsum elegisse iudices ex tribubus a se editis; nam sic reus, ut ait CICERO non ad iudices sed ad carnifices veniret. [3]) Quae tamen opinio profertur a WUNDERO [4]) dicenti, iudices editicios esse qui ab accusatore ita sunt constituti ut nemo eorum reiici posset. Quid magis mirum esse potest quam haec definitio in eo, qui orationem edidit pro PLANCIO, ex qua confici potest hanc sententiam veram non esse [5]). [Opinio illa WUNDERI nata esse videtur ex loco Schol. Bob. perperam a MAIO suppleto, vide p. 151. n. 2.] GEIB [6]) omnino WUNDERI et WALTERI [7]) sententiam amplectitur sed simul refutat fal-

[1]) ASC. ap. ORELL. p. 79.
[2]) CIC. p. Planc. 17 § 41.
[3]) CIC. p. Planc. 16 § 41.
[4]) WUNDERUS prol. p. LXXVII. cf. DE MAN. diss. I. p. 40 sq.
[5]) CIC. p. Planc. 17 § 41 et alibi.
[6]) GEIB. Gesch. des Röm. Crim. Proc. p. 313. Leipz. 1842.
[7]) WALTER. Rechtsgesch. p. 864.

sam opinionem WUNDERI nullum discrimen admittentis inter iudices ex lege Licinia et ex ea lege quam clarissimi cives non tulerunt i. e. Senatores, non ut idem GEIB voluit, Equites. [1]) Opinio a me prolata, quam veram esse omnino non prae me fero, optime tamen ut mihi videtur stabilitur priore loco Schol. Bob. (vide p. OR. 253.) ut de reliquis iudices haberentur utique infestissimi causam dicentibus, utpote quos accusator ad suam voluntatem praelegisset, edendo eas tribus, quas reo minus aequas fore arbitrabatur. Totam tribum non iudicasse, credo, certum est; si igitur qui alicui tribui adscripti sunt, quidquam possint ad ipsum iudicium facere i. e. si aliquid efficietur eo

---

1) GEIB. op. l. p. 314. n. 189. cf. MOMMSEN. op. l. p. 64. n. 13. Multo prudentius scribit FERRATIUS I. Ep. 5 de ea lege quam Patres non tulerunt, quam MOMMSEN l. l. Hic enim refert eum locum ad legem quam SERVIUS SULPICIUS flagitaverat quamque Senatus repudiavit his argumentis credo (quamquam de iis tacet):

1. Quod in orat. p. Mur. 23 § 47 legitur: „illa Senatus frequens — „repudiavit — idem iudices editicios esse voluisti" cett.

2. Quod in Schol. Bob. p. OR. 262. ad haec ipsa verba sic annotatum invenimus „et hac in parte commemorationem *videtur* facere „TULLIUS eius temporis quo" (SERVIUS SULPICIUS) cett. Nomen SERVII vero insertum est h. l. a N(IEBUHRIO). cf. p. 255. n. 15.

Ille autem nude scribit de hac lege p. 21 m. „in oratione quidem „pro Planc. commemoratur lex quaedam de ambitu quae tamen „perlata non est" cett. Si CICERO hanc SERVII legem spectasset certe de eo iudicio Equitibus mandato locutus esset in Orat. p. Mur. ubi multa expromsit de lege a SERVIO SULPICIO flagitata. In plane contrarias partes abit GEIB. p. 314 sq. locum Schol. sic explens: qui (Servilia lex repetundarum); sed hanc opinionem falsam esse satis demonstrant CICERONIS verba: nuper clarissimi viri cett. [nam lex Servilia lata est tempore Sullanarum Marianarumque turbarum; secundum KLENZIUM in proleg. ad hanc legem inter a. u. c. 648—654. vide OR. in Ind. Leg. p. 270 sq.] Vide praeterea MOMMSENIUM p. 63 sq. n. 12. Res ut mihi videtur obscurior est, quam quae confici possit.

facto accusatoris ut tribus minus aequas edat, necesse est, opinor, ut ipsae tribus iudices dicant, ut est apud ASCONIUM; [1]) tunc etiam accusator dici potest *iudices constituere* et *praelegere iudices ad suam voluntatem*, tunc etiam conveniunt haec cum verbis CICERONIS: „eos iudices esse non ex *delectis iudicibus* [2]) sed ex omni populo", tunc etiam efficitur ut ii, qui iudices sedent, simul testes sint, et sic in reum acerbissimum [3]) constituitur iudicium [4]). Neque obstat huic opinioni locus CICERONIS [5]) qui certe omnino facit contra GÖTTLINGIUM, specie pro WUNDERO aliisque. [6]) GÖTTLING sortitionem fuisse habitam a praetore contendit ex albo iudicum ordinariorum vel selectorum; [7]) quod idcirco minus probabile mihi videtur, quod huius rei nulla mentio fiat praesertim cum huic sententiae etiam obstent verba CICERONIS ex Planciana. [8])

Poena ex lege Licinia ut inter omnes constat auctores, erat *exilium*, quod petunt ex verbis CICERONIS: [9]) „nunc postulatur a vobis, ut eius *exilio*, qui creatus „sit, iudicium P. R. reprehendatis." At ut mihi vide-

---

1) Asc. ap. OR. p. 79.

2) i. e. ex Equitibus. CIC. p. Planc. 17 § 41.

3) Cf. in acerbiore iudicio de quaesitore suffragiis populi creato. Asc. p. OR. 39.

4) Non credo certe futuros qui dicant haec omnia etiam aeque facile accidere posse si praetor habeat sortitionem; fieri posse non nego sed plane contrarium etiam poterat inde nasci ut iudices plerique existerent in reos mitiores.

5) CIC. p. Planc. 16 § 39.

6) Cf MOMMSEN. op. l. p. 67.

7) GÖTTLING. Röm. Stvf. p. 491. n. 3. assentitur FERRATIO I. 5. p. 21. KLENZE lex Servilia p. 24, 31 s..

8) CIC. p. Planc. 16 § 39, 40.

9) CIC. p. Planc. 3 § 5.

tur frustra id colligitur ex h. l.; nam contendo nulla unquam in lege exilii poenam in damnatos fuisse constitutam, quod recte vidit BOUCHAUD [1]) dicens: observandum esse nulla unquam lege exilii poenam esse sancitam, sed esse exilium, perfugium portusque supplicii iis, quibus aqua et igni erat interdictum, quamquam hic idem BOUCHAUD [2]) sine ulla haesitatione loquitur de poena exilii lege Licinia damnatis imposita. Sic v. c. CLODIUS non tulit ut in exilium mitteretur, qui civem Romanum indemnatum interemisset, sed ut ei aqua et igni interdiceretur. [3]) Qui hoc genus poenae ferebant necessario urbe Roma et Italia carere debebant; ut igitur vitam retinerent cedebant loco et sic poena ut alicui aqua et igni interdiceretur hoc semper efficiebatur ut damnatus in exilium iret. Nemo civis Romanus tamen invitus potest civitatem amittere; igitur nemo cogi potest ut eat in exilium; fictione autem quadam introducta est poena ut alicui aqua et igni interdicatur; [4]) nam simulac alius civitatis damnatus fit civis excidit civitate Romana, quoniam iure Rom. nemo duarum civitatum civis esse potest. [5]) Sic CICERO l. l. „nam quum ex nostro iure duarum civitatum

---

1) BOUCHAUD. op. l. p. 413. n. *h.*

2) Ibid. p. 414.

3) VELL. PAT. II. 45. Erat hoc privilegium in CICERONEM „nam his „verbis etsi non nominabatur solus CICERO petebatur." Ea privilegia iam legibus XII. tabb. erant vetita his verbis: „privilegia ne irro„ganto." CIC. pro Sest. 30 § 65. GÖTTLING. Stvf. p. 319 § III. cf. de privilegiis: CIC. de Legg. III. 19 § 44. DIRKSEN, Ueber die Zwölf Taf. p. 644 sqq. Lipsiae 1824.

4) Cf. de aqua et igni interdictione GEIB. op. l. p. 121, 130 sq. KLENZE op. l. p. 49.

5) Vide BOUCHAUD. l. l. p. 413. n. *h.* CIC. p. Caec. c. 33 sq. a. § 95—100.

„nemo esse possit, tum amittitur haec civitas denique „quum is, qui profugit receptus est in exilium i. e. in „aliam civitatem" et paullo ante: „exilium non suppli„cium est, sed perfugium portusque supplicii." [1]) Quae quum ita sint circumspicienda est medicina, qua hunc locum ex Planciana, [2]) sanemus et sanus erit si lineola ducta per *l* litteram, pro *exilio* legamus *exitio*, ad quam emendationem confirmandam etiam aliam afferam rationem. Opponuntur sibi in iudiciis Rom. e regione *salus* et *calamitas* i. e. absolutio et condemnatio, eodem modo ac *salus* et *exitium*, cuius rei in fidem adducam testimonium TULLII in fragmento quod AMMIANUS MARCELLINUS [3]) servavit; nempe in orat. pro OPPIO, ubi haec leguntur: „etenim multum posse ad *salutem* alterius „honori multis, parum potuisse ad *exitium* probro ne„mini unquam fuit." [4])

Non negabo tamen aqua et igni interdici damnatis ex lege Licinia; nequaquam; confici id potest ex multis huius orationis pro PLANCIO locis; v. c. „non dicam meo„rum in bonos meritorum, sed bonorum in me, quia „a me mei servatorem capitis *divellat* ac *distrahat*" [5]). Luculentius hoc etiam conficitur ex altero eiusdem orat.

---

[1]) Cf. ASC. in Milon. p. OR. 54.

[2]) CIC. p. Planc. 3 § 8.

[3]) AMM. MARCELL. XXX. 8. ORELL. CIC. opera IV. p. 2ae p. 444. n. 5. [Sic legitur in CIC. orat. p. Roscio Amer. 51 § 149: „qui quantum „possent, in *salute* alterius, quam in *exitio*, mallent ostendere. CIC. p. Mil. 36 § 100]."

[4]) Quod si cui res his argumentis ex antiquitate prolatis non confecta esse videatur, ratio quoque credo, unumquemque docebit hanc emendationem esse certam: reprehenditur enim iudicium populi Romani damnatione (exitio) illius, qui creatus est, non vero reprehenditur sequelis quae ex damnatione sequuntur (exilio).

[5]) CIC. p. Planc. 42 § 101.

loco [1]): „agitur CN. PLANCII *salus*, *patria*, *fortunae*" unde apparet etiam mulcta [vel bonorum publicatione] puniri eum qui ex lege Licinia damnatus esset [2]). Fueritne damnatis in certum temporis spatium vel in perpetuum aqua et igni interdictum nescitur. MOMMSEN hanc amplexus est opinionem [3]); ego potius crederem fuisse statutam eam poenam in certum tempus v. c. x annorum ut ex lege Tullia; nam forma iudicii acerbior mihi videtur, quam cui tanta poena fuerit adiecta; at difficile est, de ea re certi quid affirmare, deficientibus auctorum testimoniis.

Servavit nobis ASCONIUS haec etiam de iudicio de sodaliciis [4]), quod ei quaestioni specialis praefuerit *quaesitor* (nempe in MILONIS causa FAVONIUS) quodque accusatori P. FULVIO NERATIO lege praemium datum sit, quoniam reum damnasset.

§ 9.

Rei ex lege Licinia de sodaliciis.

I. C. MESSIUS [5]).

Recte a MOMMSENIO [6]) conficitur ex verbis CICERONIS [7]) C. MESSIUM fuisse de sodaliciis petitum. Defenderunt eum CICERO ut apparet ex l. l. et L. LICINIUS CALVUS, VATINII

---

1) Ibid. 33 § 79.
2) MOMMSEN. op. l. p. 70.
3) Ibid. p. 70.
4) Asc. ap. OR. p. 54.
5) PIGH. T. III. 388.
6) MOMMSEN. op. l. p. 61. Dubitat ELLENDT. op. l. p. CXXIII, fueritne MESSIUS peculatus an ambitus reus. DRUM. II. p. 307. III. p. 324.
7) CIC. ad Att. IV. 15.

accusator [1]). Causa cadit in mensem Quinctilem a. u. c. 700. a. C. 54, sed ex qua petitione reus fuerit C. MESSIUS planum non est. Fuit enim tr. pl. quum CICERO revocatus est; igitur a. u. c. 697. a. C. 57 LENTULO et METELLO coss. Revocabatur postea ipse e legatione quum CAESARI eum legarat APPIUS [2]). Igitur MESSIUS post tr. pl. nullum gessit magistratum, quum de sodaliciis petebatur. Absolutus est, nam dicitur aedilicius proficisci iussus a CAESARE Achillam, liberam Africae civitatem [3]). Eodem anno paullo post MESSIUM de sodaliciis reus factus est:

II. P. VATINIUS.

De huius causae dictione multa leguntur apud diversos scriptores, quum insuper multa accusatoris fragmenta ad nos pervenerunt. At exstabant ante MOMMSENIUM [4]) multae de hac caussa opiniones diversae, quas ille pro maiore parte composuit. Scilicet primus error inde natus est quod VATINIUS quum bis petitus sit ex lege *Licinia* et ex lege *Licinia Iunia*, C. LICINIUM CALVUM habuerit accusatorem. Videamus quid VATINIO fuerit cum lege de sodaliciis; sed primum paucis est exponenda horum temporum conditio. Post CICERONIS consulatum quum nullum, ut ait, periculum in mora esset, boni, ut CICERO eos appellat, quos ille coniunxerat, inter se divisi erant; equites enim paene a Senatu disiuncti

---

1) SENEC. Contr. III. 19. A. WEICHERT. Poet. Lat. reliq. § 7. p. 110 sqq.

2) FISCHER. op. l. ad hunc annum. MOMMSEN. op. l. p. 70. tempora perturbat; nam eodem anno legem Liciniam latam dicit quo MESSIUS aliique accusati sunt.

3) Auctor belli Afr. 33.

4) MOMMSEN. op. l. p. 70 sqq. n. 33. DRUM. V. 688. n. 59.

erant [1]) a. u. c. 693, qui annus duo firmamenta Reip. per unum CICERONEM [2]) constituta evertit; nam et Senatus auctoritatem abiecit (iudicio ex quo CLODIUS est absolutus quod erat datum ex Scto ut vidimus p. 56) et ordinum concordiam disiunxit. Coeperunt ex eo tempore magis magisque populares qui dicebantur, caput extollere. POMPEIUS abalienatus erat a CICERONE praesertim quod hic ad absentem in Pontum dederat epistolam, qua gloriabatur se remp. servasse. CICERO dignitatem tueri gratia conabatur i. e. alios defendendo; [3]) de rerum statu eo tempore indignabundus scribit: [4]) „exclames necesse est res Romanas diutius stare non „posse" — quod scripsit eo anno, quo consul erat AFRANIUS, qui POMPEII largitionibus consulatum nactus erat. Hoc anno CAESAR ex Hispania Ulteriore revertebatur propraetor non proconsul ut scribit FISCHER [5]) (nam duae Hispaniae erant provinciae praetoriae) edictis iam comitiis [6]) triumphum petens et consulatum; sed coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere. Cur tamen populares potestatem tantam in Rep. nacti sint non potest luculentius demonstrari quam CICERONIS verbis: [7]) „nunc vero — quum nostri prin„cipes digito se coelum putent attingere, si mulli „barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, alia „autem negligant i. e. principes remp. non curabant,

---

[1]) CIC. ad Att. I. 17.
[2]) CIC. ad Att. I. 18 § 3.
[3]) CIC. Ep. ad Att. I. 17 § 6.
[4]) CIC. Ep. ad Att. I. 18 § 2.
[5]) FISCHER. op. l. ad ann. u. c. 694. a C. 60.
[6]) SUET. Iul. Caes. 18.
[7]) CIC. ad Att. II. 1. § 7.

affluebant divitiis et turpi mollitiae dediti erant [1]); populares contra acres erant duce CAESARE, homines ad agendum parati, qui id sibi acquirere studebant omnibus modis, quod principes istos corruperat et effiminaverat. Sic CAESAR adiit consulatum, quem turpi largitione et coitione cum LUCCEIO nactus est. Clamant omnes fere scriptores de ambitu CAESARIS et competitorum; tanta largitione res agebatur, ut ne CATO quidem abnuerit, pecuniam dare, ut BIBULO suffragaretur. At quid proderat BIBULUM creare consulem, qui aeque minus ac ceteri optimates, poterat CAESARI resistere? Cuius nomen, si de consulibus huius anni loquebantur, ne nominabatur quidem; nam vulgo ferebantur hi versus:

„non BIBULO, quidquam nuper sed CAESARE factum est,
„nam BIBULO fieri consule nil memini."

Et nonnulli urbanorum, quum quid per iocum testandi gratia significarent non CAESARE et BIBULO sed IULIO et CAESARE coss. actum scribebant [2]). Unus omnia in rep. administravit, idque ad arbitrium suum; BIBULUS per VIII menses, copiam sui non fecit, noluit enim iurare [3]) in

---

[1]) Principes optimatium erant eo tempore: BIBULUS consul; hic autem edictis nihil potuit prohibere: „BIBULI autem ista magnitudo „animi in comitiorum dilatione quid habet, nisi ipsius iudicium sine „ulla correctione reip.?" CIC. ad Att. II. 15. LUCULLUS, luxu affluens, quem simul agere coepit, CAESAR minis deterruit. SUET. Caes. 20. HORTENSIUS grandior natu mollitie requiescebat; non amplius cum ambitio movere poterat. CICERO et CATO soli ex optimatibus populi gratia florebant; qui quum poterant CAESARI adversari a rep. erant summovendi, quod per CLODIUM mox in utroque factum esse constat, nempe aqua et igni interdictione CICERONI et honorifica scilicet CATONIS legatione, missi in Cyprum.

[2]) SUET. Caes. 20.

[3]) *Iurare in legem* signif.: se legem sancte servaturum. Noluit METELLUS id facere in legem SATURNINI; postulabant illud cives seditiosi

legem agrariam CAESARIS. CAESARI legem ferenti BIBULUS restitit; armis foro expulsus est [1]). Tunc domo se abdidit, ubi mansit per VIII menses; ὀκτὼ μηνῶν οὐ προῆλθεν ὑπατεύων (Βίβλος) [2]). Igitur mense Aprili lata est lex agraria CAESARIS ut ager Campanus divideretur; BIBULUS omnibus actis collegae obnuntiabat edictis ἐξέπεμπε διαγράμματα βλασφημίας ἔχοντα καὶ κατηγορίας. Omnibus conviciis CAESAREM in iis edictis proscindebat [3]). At quum non iurasset in legem agrariam, copiam sui facere non poterat [4]), simulac enim foras exisset Caesariani manus ei iniecissent; immo cogitabat CAESAR de BIBULO domo sua extrahendo per VATINIUM, quod a CICERONE VATINIO [5]) per quem omnia CAESAR agebat, obiicitur.

---

ut Senatum cogerent sibi obtemperare; CAESAR eodem processit; primum coegit Senatores; cunctanter nonnulli fecerunt quod postulabatur. DIO CASSIUS XXXVIII. 7. Fertur CICERO tandem eloquentia sua movisse CATONEM ut iuraret in legem. PLUT. Cato. Min. 32. ex quo loco explicandus est CIC. p. Sest. 28 § 61. M. IUVENTIUS LATERENSIS restitit, atque a petitione destitit. tr. pl. a. u. c. 695. a C. 59. vide BRÜCKNER. op. l. p. 481. CIC. ad Att. II. 18 § 2. p. Planc. 22 § 52. Ex quibus locis apparet quantum iam CAESAR valeret eo tempore in magistratuum creatione. Sanxit etiam lege sua ut candidati quoque in legem iurarent; qui secus fecisset a petitione desisteret. SUET. Caes. 23. Ex eo quod LATERENSIS a petitione destitit atque postea Romae mansit, conficio eum non cepisse quaesturam antequam tr. pl. petiit. Nam si quaestor fuisset, Senator esset factus: si Senator, debuisset iurare in legem: quod si nollet in carcerem esset coniectus.

1) PLUT. Pomp. 48. SUET. Caes. 20.

2) PLUT. l. l.

3) SUET. Caes. 49.

4) Copiam sui non facit, qui neminem ad se admittit, qui se conspici non patitur; hic in ius vocari non potest. Ubi tamen ex publico conspicitur v. c. ubi ex fenestra prospicit, potest in ius vocari. l. 18. 20. ff. *de in ius vocando*. l. 19. ff. eodem.

5) CIC. Vat. 9. § 21. 22.

Senatus, qui pessime oderat CAESAREM futuris consulibus decernere voluit provincias minimi negotii [1]) i. e. silvas callesque [2]). Per VATINIUM tamen CAESAR effecit ut a populo sibi decerneretur Gallia Cisalpina, Illyrico adiecto, quibis mox accessit Comata, per Senatum [3]).

At unde factum est ut CAESAR tantum posset? Primum eius ingenii dotibus praecellebat permultis; sed gratiam tantam sibi conciliavit, auro, largitionibus, ambitione [4]). Sic sibi devinxit publicanos i. e. omnes equites, quos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit; plebis animos sibi conciliavit agro Campano extra sortem dividendo XX millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent [5]); POMPEIUM CRASSO reconciliavit et cum utroque iniit societatem ne quid ageretur in rep. quod displicuisset ulli ex tribus; CLODIUM traduxit ad plebem, quod CICERO iudicio quodam temporum statum deplorasset i. e. quod quo solebat ore libero, esset in CAESAREM invectus, in ea oratione quam pro C. ANTONIO collega in consulatu habuit [6]). Hisce omnibus CAESAR viam sibi paraverat ad remp. invadendam. Sero sensit POMPEIUS sibi esse impositum a CAESARE; cum CRASSO ei resistere conatus est; sed frustra.

Hisce praemonitis fortasse longioribus, melius exponi possunt quae nobis innotuerunt de iudiciis sodaliciorum ex lege Licinia. Diximus de erroribus et diversis opinionibus ex nominibus LICINII et LICINIAE ortis in caus-

1) Ex lege Sempronia; cf. CIC. orat. de Prov. Cons.
2) SUET. Caes. 49.
3) SUET. Caes. 22.
4) Vix opus est dicere CAESAREM ingens sibi contraxisse aes alienum istis largitionibus et mercedibus.
5) SUET. Caes. 20. CIC. ad Att. II. 16. § 1. 2.
6) CIC. p. domo. 16 § 41.

sis VATINII a MOMMSENIO compositis. Superest ut de anno quo accusatus sit et de caussa ipsa videamus. Accusator in VATINIUM exstitit L. LICINIUS CALVUS orator, filius LICINII MACRI historici, qui CICERONE praetore repetundarum erat damnatus si quis alius inimicus Caesarianis partibus. Erat enim amicissimus CATULLI et utriusque mordacissima epigrammata et dicta exstant in CAESAREM et VATINIUM. Iam C. LICINIUS CALVUS dixit se nomen delaturum VATINII, a. u. c. 698. a. C. 56; igitur iam biennio antequam revera eum postulavit; quod sic demonstrari potest: LICINIUS dixerat in causa Sestiana, acta a. u. c. 698. a. C. 56, se delaturum VATINII nomen [1]). At VATINIUM esse accusatum de sodaliciis constat, igitur [2]) post legem Liciniam latam; accusatus est, quum praeturam adeptus erat, immo gesserat. Competitor eius erat M. CATO UTICENSIS, quem omnibus indignantibus effusa largitione vicit [3]). Idcirco accusator in eum hoc convicium iecit: „perfrica frontem et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam CATONEM" [4]). Neque tamen statim post petitionem poterat CALVUS VATINIUM in ius adducere; statim enim magistratum iniit, quum frustra adversarii postularent ne magistratum inirent

---

1) Cic. ad Q. fr. II. 4.

2) Cic. p. Planc. 16 § 40. Schol. Bob. ad eum locum p. OR. 262. MOMMSEN. op. l. n. 33. De diversis causae dictionibus P. VATINII cf. MEYERUS op. l. p. 474—478. 2ae ed.

3) De repulsa CATONIS multi scribunt, quos vide apud FISCHERUM op. l. p. 247. imprimis PLUT. Cato Min. 42. VAL. MAX. VII. 5 § 6. „quem honorem CATONI negaverant, VATINIO dare coacti sunt; ergo „si vero aestimare volumus, non CATONI tunc praetura sed praeturae „CATO negatus est." Anno sequenti tamen CATO praetura functus est. PLUT. Cato Min. 44.

4) WEICHERT. p. op. l. n. 3.

qui crearentur, ante dies LX; quod legitur apud CICERONEM: „a. d. III Id. Maias Sctum factum est de ambitu „(a. u. c. 699. a. C. 55) in AFRANII sententiam. Sed „magno cum gemitu Senatus consules non sunt persecuti eorum sententias, qui AFRANIO, quum essent assensi, addiderunt ut praetores ita crearentur ut dies LX privati essent. Eo die CATONEM plane repudiarunt." [1]) Acta haec sunt ante comitia praetoria, quum consules post interregnum iniissent magistratum [2]), sed ut recte DRUMANN ostendit [3]) non acta sunt a. d. III Id. Maias, sed a. d. III Id. Febr. Si enim ad a. d. III Id. Maias comitia Praetoria nondum essent habita, Senatus credo, non decrevisset, uti Praetores LX diebus post illa comitia magistratum inirent. Ad hunc locum nonnulla animadvertenda habeo de iis, quae REIN. scripsit [4]) de turpi Scto lato auctore AFRANIO. Quod perperam a V. Cl. videtur expositum. REIN. enim ea, quae PLUTARCHUS scribit [5]) pro iisdem habere videtur cum iis, quae narrantur a CICERONE [6]). At PLUTACHUS narrat consules de ea re ad Patres retulisse, CICERO contra refert Sctum esse factum in sententiam AFRANII, cui Senatus assentiebatur quum multi addere vellent clausulam, ut praetores per LX dies „privati essent". Hanc clausulam cum gemitu magno Senatus consules non persecuti sunt. Igitur turpe erat negligere illud, quod decretum erat a Senatu in P. VATINIUM qui immani ambitu petebat; PLU-

---

1) CIC. ad Q. fr. II. 9 § 3.
2) DIO CASSIUS XXXIX. 31.
3) DRUM. III. p. 279. n. 39.
4) REIN. op. l. p. 716 sq.
5) PLUT. Cat. Min. 42.
6) CIC. ad Att. II. 9. § 3.

TARCHI opinio contra flocci est habenda, quippe qui rem accurate non noverit [1]). Neque illud Sctum erat factum (sicut scribit REIN.) ut VATINIUS cett. statim inire possent magistratum; nam erat factum, ut luculenter apparet ex CICERONE, ante comitia praetoria; neque tunc temporis sermo erat de CATONIS repulsa; immo praerogativa, ἡ πρώτη κληθεῖσα τῶν φυλῶν, CATONEM prioribus comitiis creavit, quae POMPEIUS tonitru scilicet audito diremit [2]), quum postea infinita largitione contigit iis τοὺς βελτίστους ὤσαντες ἐκ τοῦ πεδίου VATINIUM praetorem creare. Videtur igitur ultimo loco inhaesisse ut, ceteris praetoribus renuntiatis, unus locus CATONI et VATINIO maneret ut etiam factum est in SATURNINI et NONII petitione (p. 70).

Apparet ex verbis CICERONIS quid valerent Senatores hoc tempore, quo CICERO scripsit de POMPEIO et CRASSO coss.: „quid multa? tenent omnia" (consules) „idque ita „omnes intelligere volunt." [3]) Interea CICERO repente cum VATINIO praetore rediit in gratiam; causam suscepit hominis, quem biennio ante, Dis hominibusque plaudentibus, conciderat acerbissima illa interrogatione in VATINIUM testem [4]), et eum splendida laudatione prosecutus, facile eloquentia sua absolvit. Scribebat enim de ea causa ad Q. fr.: [5]) „VATINIUM eram defensurus. „*Ea res facilis est.*"

---

[1]) BOUCHAUD. p. 417 tamen sequitur hanc falsam PLUT. opinionem.

[2]) PLUT. l. l.

[3]) CIC. ad Q. f. II. 9. f. vide de consulum reconciliatione WEICHERTIUM p. 115 sqq.

[4]) Ut se purgaret inconstantiae et levitatis crimine scripsit notissimam illam epistolam ad LENTULUM (Ep. ad Fam. I. 9).

[5]) CIC. ad Q. fr. II. 16 § 3.

Quum tamen constaret immanem ambitum esse commissum ut accusator iudicibus haec dicere ausus sit: „factum ambitum scitis omnes, et vos scire omnes „sciunt" [1]) iudicare possumus quae fuerint illo tempore iudicia in urbe Roma. [Omnino enim pendebant a CAESARIS voluntate, qui omnia in Rep. poterat]. Ex quo dicto aliisque accusatoris scribit WEICHERT. [2]) apparet: VATINIUM fuisse *ambitus* reum praesertim ex illis vocabulis quae leguntur apud QUINCTILIANUM [3]); [ac si in sodaliciorum crimine ambitui nullus esset locus].

III. CN. PLANCIUS, [4])
ex petitione aedilitatis reus de sodaliciis factus est a M. IUVENTIO LATERENSI, qui repulsam tulerat. Subscripsit L. CASSIUS. [5]) Antea dubitabatur, quo anno CN. PLANCIUS fuisset accusatus, at constat eum esse petitum eodem anno quo C. MESSIUS et P. VATINIUS sed aliquanto postea [6]) „hanc quoque orationem (pro SCAURO) iisdem coss. dixit, quibus pro VATINIO, L. DOMITIO AHENOBARBO, APPIO CLAUDIO PULCHRO a. u. c. 700. a. C. 54. Quod si nunc indicavero PLANCIUM fuisse accusatum paullo post VATINIUM res, credo, clara erit.

CN. PLANCIUS tr. pl. fuit CN. CORNELIO LENTULO, L. MARCIO PHILIPPO coss. a. u. c. 698. a. C. 56. [7]) So-

---

1) QUINCT. I. O. VI. 1 § 5 L.
2) WEICHERT. op. l. p. 113 sq.
3) QUINCT. I. O. IX. 3. § 56. et apud CHAR. II. p. 203. PUTSCHII. WEICHERT. p. 114.
4) Causam PLANCII optime exposuit BRÜCKNER. op l. 484 sqq. Hac in causa quid actum fuerit ex ipsa oratione conficiamus necesse est. Uberrimus fons illorum temporum historiae, CICERONIS epistolae nil fere suppeditat.
5) WUNDERUS prol. p. XCV.
6) Asc. ad orat. p. Scauro p. 121. BEIERI. Lips. 1825.
7) CIC. ad Q. fr. II. 1. f.

lent apud Romanos, si qui magistratus obeunt anno suo tres inter singulos honores anni intercedere; igitur dicet aliquis PLANCIUS aedilitatem petit a. u. c. 700. a C. 54. ut illo munere fungeretur in annum sequentem. [2]) Quod quum veritatis speciem referre videatur refutandum est. Primum nititur opinio mea testimonio Schol. Bob. [3]) qui annotat: „iam de sodaliciis causam dixerat P. VATINIUS „eodem defendente M. CICERONE," quibus verbis recte explicatur locus [4]) ubi queritur orator. se de consilii sententia in proximo reo V reiecisse iudices, quod quum esset contra legem, non dubitandum quin factum sit arbitrio factionis victricis in commodum VATINII. At ne unico hoc argumento niti videar, adducendum est CICERONIS testimonium: [5]) „orationes pro SCAURO et „pro PLANCIO efflagitatas absolvi." Igitur eodem fere tempore, quo SCAURUS, PLANCIUS defensus est. [6]) Praeterea ut monuimus quaesitor peculiaris causis de sodaliciis praeërat, qui ex magistratuum ordinariorum numero erat. [7]) Quaestioni praefuit in iudicio PLANCII C. ALFIUS, qui eo anno quaestionem exercuit de maiestate. [8]) Sic MILO damnatus est de sodaliciis apud quaestorem FAVONIUM, quem etiam eo anno praetorem fuisse perhibet PIGHIUS. [9]) Locus qui valde pugnare videtur pro

---

[1]) MANUTIUS in argum. ad or. p. Planc. Cf. WUNDERUS prol. LXV. FERRATIUS tamen recte probavit Ep. 12. l. V. hanc rationem obtinuisse in magistratibus curulibus, non in plebeiis.

[2]) Schol. Bob. p. OR. 262.

[3]) CIC. p. Planc. 16 § 40.

[4]) CIC. Ep. ad Q. f. III. 1 § 4.

[5]) A. MAIUS in praef. ad libros de Rep. p. VIII. c. 1. Romae 1822. op. l. p. 482.

[6]) DRUM. VI. p. 48 sqq.

[7]) WUNDERUS Prol. l. III. e. 2. p. 70. 72.

[8]) CIC. p. Planc. 20 § 49.

iis, qui dicunt PLANCIUM esse accusatum a. u. c. 701. a. C. 53, quique legitur in orat. pro PLANCIO, [1]) recte est explicatus a WUNDERO [2]) et GARATONIO: [3]) „quae „comitia primum habere coepit consul, — tum harum „ipsarum legum auctor" — indicat luce clarius CRASSUM i. e. consulem a. u. c. 699. a. C. 55. Is primum comitia habere coepit, sed quum rem contra voluntatem suam eventuram videbat, fortasse comitia diremit, ut vidimus factum esse eodem anno a POMPEIO in comitiis praetoriis. [4]) Petierunt una cum PLANCIO A. PLOTIUS, Q. PEDIUS, et M. IUVENTIUS LATERENSIS. [5]) Creati sunt CN. PLANCIUS, et A. PLOTIUS, qui coitionem dicebantur iniisse. [6]) Legitur in loco l. CICERONIS grave testimonium pro iis, quae dixi de comitiis diremtis a CRASSO. Nam PLANCIUS et PLOTIUS tribum concesserant PEDIO; veniebat superioribus comitiis uterque iam prope factus et declaratus aedilis. CRASSUS tamen comitiis diremtis illorum competitoribus favisse videtur atque hanc ob causam posterioribus comitiis, uterque eam tribum concessam PEDIO avulsit ne ipsi redirent in angustum. [7])

Tribum concedere is dicitur, qui quum videat, maiorem partem tribuum sibi esse delaturam, quem petit

---

1) CIC. p. Planc. 20 § 49.
2) WUNDERUS Prol. LXIX.
3) GARATONIUS ed. 2ae huius orat. p. 127. 131. ad. c. 16.
4) Quo factum ut initio a. u. c. 700 habita esse videntur illa comitia.
5) CIC. p. Planc. 22 § 54. WUNDERUS Prol. p. LXXXIII. sqq.
6) CIC. p. Planc. 22 § 53. BRÜCKNER op. l. p. 481.
7) GRUCHIUS de Comit. in GRAEV. Thes. I. p. 622; quod tamen is dicit litt. D. „rogando conciliabat suas centurias unus alteri ut illo „vicissim suas ei conciliaret" de coitione valet, non de concessione. Eodem modo dicitur apud CIC. petitionem concedere i. e. abstinere a petitione, locum cedere competitori. CIC. Phil. II. 2 § 4.

magistratum unam alteramque tribum quam sibi ex coniunctissimis habeat permovet ut competitorem faciat. Qui igitur tribum concedit competitori plerumque suam tribum concedit i. e. eam tribum ad quam ipse pertinet. Hoc factum est v. c. etiam in PLANCIO et PLOTIO. [1]) Quum id alicui esset honori si in primis renuntiatus esset, solebant competitores, qui magnum numerum tribuum ferebant competitoribus saepe concedere unam alteramve tribum, ut eo modo honestiorem locum adipiscerentur. Sic CICERO obiicit ANTONIO: [2]) „nescis „me praetorem primum esse factum; te concessione „competitorum et collatione centuriarum et meo maxime „beneficio e postremo in tertium locum esse subvectum?" Quibus addenda sunt: [3]) „an oblitus es te ex me „cum praeturam peteremus petiisse ut tibi primum „locum concederem?" Non opus est ut cum GRUCHIO (de comit. l. l.) quaeramus quomodo posset unus alteri tribum vel centuriam concedere; nihil enim facilius respondetur quam hoc: *quoniam emerant.*

PLANCIUS absolutus est [4]) ut omnes scribunt. Diserto tamen testimonio hoc non demonstratur nisi id conficere possumus ex epistolis, [5]) quas ad eum dedit CICERO exulantem Corcyrae ubi non degebat, condemnatus iudicio quodam, sed quod in bello civili a POMPEII partibus steterat.

IV. T. ANNIUS MILO.

Postulatus est de sodaliciis a P. FULVIO NERATO [6]);

---

[1]) WUNDERUS ad 22 § 54 orat. p. Planc. DE MAN diss. l. p. 47 sq.
[2]) CIC. Orat. in Tog. Cand. p. OR. 85.
[3]) Ibid. p. 94.
[4]) REIN. op. l. p. 730. BRÜCKNER p. 488. DRUM. VI. p. 65. 279.
[5]) CIC. ad Fam. IV. 14. 15. cf. VI. 20.
[6]) ASC. in Mil. p. OR. 40.

absens damnatus est [1]). Errat MOMMSEN. [2]) scribens eum esse accusatum anno post MESSIUM aliosque. Illi enim ut indicavi causam dixerunt a. u. c. 700. a. C. 54. MILO vero absens damnatus est de sodaliciis a. u. c. 702. a. C. 52; nam primum damnatus est de [vi et de] ambitu, idque ex lege Pompeia lata in illius consulatu III, quem solus iniit a. u. c. 702. a. C. 52; postea damnatus est de sodaliciis [3]).

V. M. VALERIUS MESSALA.

Primum de ambitu petitus, absolutus est; sed relictus legi Liciniae (sic enim legendum esse videtur) [4]) maiore esse periculo videbatur. Quod et ita esse mox apparuit; nam scribit COELIUS [5]): „primum illud, absolutum „MESSALAM; deinde eundem condemnatum."

Post hunc annum nullum inveni de sodaliciis iudicium; MESSALA enim reus erat ex lege Licinia a. u. c. 703. a. C. 51; lex Pompeia de ambitu, de qua mox agemus, quaestionem de sodaliciis igitur non sustulit; sed videtur sublata lege Iulia de ambitu [6]). Ceteroquin ex causae dictionibus MESSALAE et MILONIS apparet aliquem simul de sodaliciis et de ambitu peti posse. In uno eo anno quo consulatu functi sunt L. DOMITIUS AHENOBARBUS et APP. CLAUDIUS PULCHER, ter de sodaliciis, quoad sciam, quaesitum est. Ne quis tamen putet severiore

---

[1]) Ibid. p. 54.

[2]) MOMMSEN. op. l. p. 71.

[3]) Asc. p. OR. 40.

[4]) Ex coniectura ERNESTI. CIC. ad Fam. VIII. 2. Vide TYDEMANNI op. l. p. 101. quod ORELL. in novissima Epp. ed. Turici 1845. neglexit. cf. WUNDERUS Prolog. ad Planc. p. LXXV.

[5]) CIC. ad Fam. VIII. 4. init. MANUTIUS in interpretatione ep. 2 et 4 sibi non constat.

[6]) MOMMSEN. op. l. p. 72.

illa iudicii forma Romanos esse deterritos ab turpissimo ambitu. Quid VATINII CATONISque petitionem referam? At turpius egerunt, qui consulatum petebant a. u. c. 700. a. C. 54. Quod copiose admodum legitur apud CICERONEM in Epistolis, quem secutus apponam:

§ 10,

Reos de Ambitu a consulatu POMPEII *II—III.*

Puto eos de quibus nunc agam fuisse reos ex lege Tullia, (cui accedebant illa Scta CATONIS et DOMITII et fortasse Sctum factum in sententiam AFRANII) quatenus non accusati sint postea ex lege Pompeia. Scribit CICERO mense Iunii spem esse nonnullam (a. u. c. 700. a. C. 54) sed incertam comitiorum [1]); mense vero sequenti: „ambitus redit immanis; nunquam fuit par. Id. Quinct. foenus fuit bessibus ex triente [2]), coitione MEMMII [3]), quam „cum DOMITIO fecit SCAURUM ut vinceret; MESSALA flaccet. „HS. centies constituunt in praerogativa pronuntiare" [4]). Ex h. l. aliud genus ambitus esse cognoscendum arbitror cuius nondum exemplum vidimus; nempe in aliis causis suffragia emuntur a certis hominibus, certisve tribubus quas candidatus vel eius amici adierunt; in nostro vero loco pecuniam pollicentur in eam tribum quamcunque, quae sorte praerogativa est, si eam tulerint.

---

1) CIC. ad Q. fr. II. 15; eadem fere leguntur ad Att. IV. 15.

2) Quid perpetraverint Romani in suffragiis emendis ex h. l. optime disci potest; foenus enim quod Idibus uniuscuiusque mensis solvebatur erat duplicatum. cf. SALMASIUS de modo Usur. p. 466 sqq. Quid sit foenus trientale vel ex triente vide apud eundem p. 30.

3) Vide Ep. ad. Fam. VI. 6.

4) CIC. ad Att. IV. 17 § 2.

Quatuor erant candidati consulatus, MESSALA et SCAURUS patricii; DOMITIUS et MEMMIUS plebeii [1]). SCAURUS valebat memoria non ingrata aedilatis suae et rusticos [2]) habebat sui studiosos per patris memoriam; DOMITIUS amicis [3]), MEMMIUS CAESARIS valebat militibus et Gallia Transpadana [4]); MESSALA CICERONIS et CAESARIS opibus nitebatur [5]). POMPEIUS, ut hoc tempore saepius, quid faceret nesciens SCAURO studere videbatur [6]), sed revera non fecit et postea eum abiecit ut MEMMIO studeret.

Quum permulta acta sunt in hac petitione turpia et foeda tum praesertim illa pactio quam cum APPIO et AHENOBARBO coss. inierunt MEMMIUS et DOMITIUS. Nolebant enim consules provincias sortiri lege curiata sed quam quisque maxime optabat, eam obtinere cupiebant. Cogitabat igitur APPIUS exeunte mense Septembri *suo sumtu* in provinciam ire [7]) Ciliciam. Interea DOMITIUS et MEMMIUS coierunt ut honore competitores deiicerent, cuius coitionis in firmamentum pactionem fecerunt cum coss. „uti ambo darent consulibus HS. quadragena si „facti essent ipsi consules, nisi tres Augures dedissent, „qui se affuisse dicerent cum lex curiata ferretur, quae „lata non esset, et duo consulares, qui se dicerent in „ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse cum „omnino ne Senatus quidem fuisset" [8]). Postea cum POMPEIUS SCAURUM abiecerat et MEMMIO studebat, eum in-

---

1) CIC. ad Att. IV. 17.
2) *Pronuntiare* hac in re solèmne voc. est. Cf. CIC. ad Att I. 14.
3) CIC. ad Att. IV. 17.
4) CIC. ibid. Cf. ad Q. fr. III. 2 § 3.
5) CIC. Q. fr. III. 3 § 2.
6) CIC. Att. IV. 15.
7) CIC. Att. IV. 16.
8) CIC. Att. IV. 18 § 2.

duxit ut hanc pactionem, quae non verbis sed nominibus et perscriptionibus multorum tabulis facta esse dicebatur, proferret nominibus inductis. Diremtam esse coitionem MEMMII cum DOMITIO per se apparet quod factum est invito CALVINO [1]).

De ambitu omnes consulatus petitores huius anni rei facti sunt [2]); DOMITIUS a MEMMIO [3]); MESSALA a POMPEIO; MEMMIUS a CURTIO; SCAURUS a TRIARIO [4]).

Tum de aliis criminibus, tum de ambitu petebatur, GABINIUS a P. SULLA [5]), subscribente privigno MEMMIO, fratre CAECILIO, SULLAE filio. Varii fuerunt exitus horum iudiciorum, de quibus breviter quid invenerim exponam.

I. CN. DOMITIUS CALVINUS } gesserunt consulatum a. u. c.
II. M. VALERIUS MESSALA } 701. a. C. 53,

quem magistratum inierunt mense Quinctili: [6]) Γναῖός τε Καλουῖνος καὶ Οὐαλέριος Μεσσάλας ὑπάτευσαν — τάς τε ἀρχὰς τὸ μέν τι, φιλονεικίαι, τὸ δὲ πλεῖστον ὑπό τε τῶν ὀρνίθων καὶ ὑπὸ διοσημειῶν μόλις ποτὲ τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ ἀπέδειξαν. Videtur DIO fidem habuisse iis prodigiis et auspiciis; unicuique certe persuasum erit specie istis portentis comitia esse dilata, revera omnibus artibus

---

1) CIC. ibid. § 3. Historiam horum comitiorum consularium exposuit PEYRONUS Exc. V. ed. Orat. p. Scaur. ed. BEIERI p. 286—289. cf. porro de petitione candidatorum consulatus CIC. ad Q. fr. II. 16 § 2. ad Att. IV. 16.

2) Quam spem consulatus habuerint candidati vide apud CIC. ad Att. IV. 17.

3) Vide de accusatione CIC. ad Q. fr. III. 2. cf. ad Att. IV. 16.

4) CIC. ad Att. IV. 16. „Opera dabatur iudicia ne fierent, sed „omnes absolventur."

5) CIC. ad Q. fr. III. 3. Att. IV. 16.

6) DIO CASSIUS XL. 17.

principes in civitate id impudenter egisse, ut suae factionis candidatos creandos curarent. Meliorem rationem reddit ipse DIO [1]) scribens consules septimo vix mense esse creatos quod multa fierent in urbe Roma στασιώδη καὶ ταῖς ἀρχαιρεσίαις μάλιστα. Paullulum differt APPIANI testimonium scribentis [2]), urbem fuisse per VIII menses ἄναρχον (sine magistratibus) κατὰ στάσιν ἢ δωροδοκίαν. Indicat hic locus quam impudenter in his comitiis rem gesserint candidati. Agebantur omnia lapidibus et ferro καὶ τὸ δεκάζειν ἢ δωροδοκεῖν ἀναισχύντως τότε μάλιστα ἐπλεόνασεν· ὅ τε δῆμος αὐτὸς ἔμμισθος ἐπὶ τὰς χειροτονίας ᾔει. Habemus comitiorum h. a. dilatorum aliud testimonium nempe CICERONIS qui de CLODIO scripsit, eum reliquisse annum suum [3]), inque proximum annum se transtulisse, quoniam videret comitia ita esse tractata ut non multos menses praeturam gerere posset, quum cuperet ad gerendam praeturam plenum annum atque integrum habere [4]).

De ipso iudicio DOMITII nihil inveni. Ex DIONE, cui addendus PLUTARCHUS, [5]) satis superque demonstratur eum ante magistratum causam non dixisse, vel esse absolutum. De MESSALAE iudicio tamen testimonia nonnulla ad nos pervenerunt, quumque de ea re errores

---

[1]) DIO CASSIUS XL. 45.

[2]) APP. B. C. II. 19.

[3]) CIC. p. Mil. 9 § 24.

[4]) *Anno suo magistratum gerere* non solum significat magistratum gerere eo anno aetatis quem praescribit lex Villa, sed etiam indicat aliquem magistratum gerere praeterlapsis duobus annis quae intercedere debebant inter duos magistratus maiores. cf. WEX. Museum für Philol. III. p. 276 sqq. a. 1845. K. HALM. ed. novissima Orat. select. CIC. Vol. V. p. 35. Lips. 1850.

[5]) PLUT. Pomp. 54. Fast. Capit. ad a. u. c. 701. a C. 53.

nonnulli exstare antea videbantur, paullo uberius dicendum erit. Quaestio enim acta est de anno, quo reus fuerit MESSALA de ambitu, vel potius quo anno iudicium de eo habitum fuerit. WETZEL. [1]) et BEIER. [2]) cogitant de anno, quo ipsum consulatum iniit, sed aliquanto melius demonstratum est MESSALAM demum causam dixisse a. u. c. 702, quamvis ne hoc quidem verum sit, — consule POMPEIO, qui tunc temporis eam novam legem de ambitu tulerat ex qua reus factus est MESSALA. [3]) Dicit REIN. [4]) hanc quaestionem esse diremtam ab ORELLIO [5]) et a DRUMANNO; [6]) nec addit tamen quis primus hanc rem recte et ordine exposuerit quod ORELL. [7]) adscribit nempe H. G. TYDEMAN. [8]) Demonstravit ille ex Epp. CICERONIS MESSALAM fuisse petitum ex lege Pompeia, igitur non antequam consulatum iniit sed postquam POMPEIUS eam legem tulit consul a. u. c. 702. a. C. 52. vel 703 a. C. 51 quae et optime cohaerent cum Epp. COELII ad CICERONEM quum hic in Cilicia degebat. [9]) CICERO Ciliciam pro consule habuit provinciam a. u. c. 703. a. C. 51. et sic plane haec conveniunt cum iis, quae leguntur apud CICERONEM: [verba sunt COELII] „HORTENSIUM maxime probavi, pro MESSALA dicentem, cum

---

[1]) BEIER. ad CIC. orat. fragm. p. 228.

[2]) WETZEL. ad CIC. Brut. 96 § 328.

[3]) Quoniam vero historia MESSALAE et eius ambitus ingens arcte cohaeret cum ceterorum candidatorum iudiciis, huc hanc causam inserendam putavi.

[4]) REIN. op. l. p. 732. n. (*)

[5]) ORELL. Onom. Tull. voc. VALERIUS MESSALA.

[6]) DRUMAN. III. p. 7.

[7]) ORELL. l. l.

[8]) H. G. TYDEMAN diss. de rebus iudicatis non rescindendis. p. 95—105.

[9]) CIC. Ep. ad Fam. l. VIII.

„tu abfuisti" [1]) (nempe in Cilicia); reiicienda est igitur opinio TYDEMANNI, [2]) MESSALAM causam dixisse de ambitu consule POMPEIO. Factum hoc est a. u. c. 703. a. C. 51. S. SULPICIO, CLAUDIO MARCELLO coss. [3]) Ad l. l. ex Bruto, error ELLENDTII est reprehendendus in quem inductus est a LUZACIO. [4]) Scribit enim ELLENDT. MESSALAM bis esse de eodem crimine in iudicium vocatum, LUZAC. contra MESSALAM *saepius* accusatum ambitus praeter omnium exspectationem esse absolutum defendente HORTENSIO. Quod secus est; nam ut supra monuimus, MESSALA absolutus ambitus, relictus legi Liciniae maiore erat periculo. Addendum etiam aliud argumentum est cur MESSALA causam non dixerit antequam consulatum inierit. Quod peto ex verbis CICERONIS saepe male intellectis [5]): „video MESSALAM nostrum consulem, si per in„terregem sine iudicio, si per dictatorem tamen sine „periculo." Qui enim per interregem creabantur statim inibant magistratum [6]); quod quum in MESSALA et DOMITIO factum esse [7]) constet, apparet eum causam post magistratum gestum dixisse. Defendit MESSALAM, ut dixi, HORTENSIUS [8]) accusante Q. POMPEIO RUFO [9]); at quum palam largitionem commisisset, quod omnibus notum erat, non est mirandum quod COELIUS scribit [10]):

---

1) Cic. Brut. 96 § 328.
2) TYDEMAN. op. l. p. 104.
3) Vide FISCHERUM ad h. annum.
4) LUZAC de HORTENSIO p. 86 § 43.
5) Cic. ad Q. fr. III. 9 § 3.
6) Liv. IX. c. 7, 8.
7) Vide FISCHERUM ad h. annum.
8) Cic ad Fam. VIII. 2 § 1. VAL. MAX. V. 9 § 2.
9) Cic. ad Q. fr. III. 2. ad Att. IV. 16.
10) Cic. ad Fam. VIII. 2 § 1.

„accessit huc, quod postridie eius absolutionem in thea-
„trum CURIONIS HORTENSIUS introiit, puto, ut suum gau-
„dium gauderemus. Hic tibi

Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus.

„Hoc magis animadversum est quod intactus a sibilo „HORTENSIUS pervenerat ad senectutem" cett. Erat MESSALA filius sororis HORTENSII, et oratoris heres scriptus [1]).

III. C. MEMMIUS,

qui repulsam tulit petitus est a Q. CURTIO. De eo sic scribit REIN. [2]): „C. MEMMIUS war so gut als condemnirt „aber weil er sogleich den SCIPIO anklagte kam er von „der Strafe frei" (nach Lex Pompeia). Quod longe secus esse videtur. Primum stultissimum esset, credo, statuere [3]) tunc aliquem iam liberari accusatione si alterius nomen detulisset, quem non condemnat; SCIPIO autem non est damnatus; secundo constat C. MEMMIUM qui praetor fuit a. u. c. 696. a. C. 58 postea exsulasse, quum ad eum exstent nonnullae CICERONIS epistolae [4]). De eo sic scribit CICERO [5]): „C. MEMMIUS — cum in „calamitate exilii sui Patrensis civis factus esset" cett. Postea CURIO cogitavit de MEMMIO restituendo [6]). Degit in exilio, Athenis, Mytilenis, et in aliis locis [7]).

---

[1]) VAL. MAX. l. l.

[2]) REIN. op. l. p. 732.

[3]) Petiit hoc ex testimonio APP. B. C. II. 24 f. sed huic testimonio nemo fidem habebit si cum eo comparabit CICERONIS disertos locos de MEMMIO exsule.

[4]) CIC. ad Fam. XIII. 1, 2, 3.

[5]) CIC. ad Fam. XIII. 19 § 2.

[6]) CIC. ad Att. VI. 1 § 23.

[7]) CIC. ad Att. V. 11 § 6. Fam. XIII. 9 § 2. vide MANUTIUM ad Ep. ad Fam. XIII. 1.

IV. M. AEMILIUS SCAURUS,

condemnatus est praesertim opera POMPEII. Ut enim supra dixi aedilitatis SCAURI memoria grata erat apud populum qui aegre illius damnationem tulit [1]). Accusavit TRIARIUS. Defendit eum CICERO, qui mox eundem eripuit iudicio de repetundis [2]). Usus erat SCAURUS in eo iudicio VI patronis, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam IV uteretur; at post bella civilia ante legem Iuliam ad XII patronos est perventum [3]). Scribit QUINCTILIANUS de duplici hac CICERONIS defensione [4]): „idem CICERO pro SCAURO ambitus reo, quae causa est „in commentariis (nam bis eundem defendit) *prosopo-* „*poeia* loquentis pro reo utitur: pro — eodem SCAURO „reo repetundarum etiam *exemplis*." Ex h. l. effecerunt viri docti [5]) bis esse SCAURUM petitum de ambitu quod confirmatur ex BEIERI opinione loco APPIANI [6]). Primum videamus de ultimo loco; sicut SCAURUS, etiam MEMMIUS petitus est ex lege Pompeia de ambitu, quod constat APPIANI testimonio l. l. Estne igitur MEMMIUS quoque bis accusatus de ambitu? Neque quod BEIERUS dicit de SCAURO, eum esse revocatum in iudicium lege CN. POMPEII apud APPIANUM legitur. [Error inde natus est quod SCAURUS, qui petiit consulatum a. u. c. 700. a. C. 54. in annum sequentem, reus factus est ex lege Pompeia, lata a. u. c. 702. a. C. 54, ut iam in pluribus vidimus.]

---

1) Asc. ad orat. p. Scaur. p. OR. 20.
2) Asc. ad orat. p. Scaur. p. OR. 18, 19.
3) Asc. ibid. p. OR. 20.
4) QUINCT. I. O. IV. 1. § 69.
5) v. c. BEIERUS ad CIC. de Off. I. 39 § 138. cf. p. 128 Orat. CIC. Fragm. ed. BEIERI.
6) APP. B. C. II. 23. 24.

Quod ad QUINCTILIANUM attinet videtur ille locus intellectu satis difficilis sed illis verbis non indicatur SCAURUM bis reum ambitus fuisse. [Verba: „quae causa est „in commentariis" explicanda sunt ex eo more oratorum Romanorum de quo supra egimus; nam oratio, quam habuerant, nec tamen ediderant dicebatur esse in commentariis [1]. Sic una causa, quam dixerat pro SCAURO repetundarum reo, cuius pars adhuc superest a CICERONE edita est; altera pro SCAURO ambitus reo habita, erat in commentariis quos TIRO „ad praesens modo „tempus aptatos contraxit" [2].]

In hoc iudicio SCAURUS damnatus est [3]. Ex verbis CIC. l. l. non potest confici quod REIN. scribit: „SCAU-„RUS wurde condemnirt und wanderte ins Exil." APPIANUS tamen diserte hoc tradit et, quoniam causam dixit ex lege Pompeia ex h. l. potest confici aqua et igni interdictionem lege Pompeia de ambitu fuisse constitutam.

V. A. GABINIUS,

postulatus de ambitu a P. SULLA, subscribente privigno MEMMIO, fratre CAECILIO, SULLAE filio [4]. Erat ille P. SULLA idem qui a. u. c. 689. a. C. 65 erat consul designatus

---

[1] [Sic enim scribit QUINCTIL. I. O. X. 7 § 30. „Plerumque autem „multa agentibus accidit, ut maxime necessaria, et utique initia „scribant, cetera, quae domo afferunt cogitatione complectantur. Quod „fecisse M. TULLIUM commentariis ipsius apparet" — et paullo post: „sed ii, de quibus loquor commentarii ita sunt exacti ut ab ipso „mihi in memoriam posteritatis videantur esse compositi." Cf. omnino quae leguntur usque ad finem huius capitis.]

[2] [Sic CICERO quum non dixerat ea, qua solitus erat constantia, orationem pro MILONE non edidit; sed quam nos habemus postea scripsit. Altera erat in commentariis. Asc. p. OR. 42. vide eundem p. 87. cf. QUINCT. I. O. I. 8 § 19. III. 6 § 59.]

[3] APP. B. C. II. 24. CIC. de off. I. 39 § 139.

[4] CIC. ad. Q. fr. III. 3 ad Att. IV. 16.

de ambitu damnatus [1]). Tres factiones praeterea postulabant [2]) GABINIUM [3]). Ex iis L. LENTULUS [4]) de maiestate; qui ut ex eo loco apparet iam antea aliquem de eodem crimine petierat. In eo iudicio GABINIUM fuisse absolutum indignabundus CICERO scribit [5]). Iam CICERO qualis futurus esset iudicii de ambitu exitus scribebat ad ATTICUM [6]); „candidati consulares omnes rei ambi„tus. Accedit etiam GABINIUS, quem P. SULLA — pos„tularat. Sed omnes absolventur, nec posthac quis„quam damnabitur, nisi qui hominem occiderit." Ex h. l. intelligi potest quam fuerint illi iudices venales [7]) quamvis nova lege lata Pompeia a. u. c. 699. a. C. 55 cautum esset ut *amplissimo ex censu* res iudicarent [8]): „POMPEIUS in secundo consulatu promulgavit ut am„plissimo ex censu ex centuriis aliter quam antea lecti „iudices, aeque tamen ex III illis ordinibus res iudica„rent." Haec lex de cuius sententia multum disputatur [9]) (quod ad nostrum propositum non facit) erat lata ne iudices possent corrumpi. POMPEIUS *ditiores* instituit iudices oblitus, ut videtur, querelarum contra Senatores prolatarum quum illi iudicia habebant et in causis omnibus corrumpi se sinebant. GABINIUS quoque de ambitu est absolutus [10]); sed tantum invidiam ex

---

1) Vide ORELL. Onom. Tull. voc. P. SULLA.
2) Quid significet *factio* vide apud MOMMSENIUM 41. op. l.
3) CIC. ad Q. fr. III. 1 § 15.
4) CIC. ad Q. fr. III. 2.
5) CIC. ad Q. fr. III. 3. init.
6) CIC. Ep. ad Att. IV. 16 § 11.
7) VAL. MAX. IX. 4 § 1. et totum caput: de *testimoniis* ibid. VIII. 5.
8) ASC. in Pison. p. OR. 16.
9) Vide FISCHERUM ad h. a. GÖTTLINGIUM Röm. Stvf. p. 482.
10) CIC. ad Q. fr. III. 9 § 3.

iis iudiciis contraxerat ut CICERO iam provideret eum ex iudicio de pecuniis repetundis facile elabi non posse, quum scribat [1]): „est omnino tam gravi fama hoc „iudicium, ut videtur reliquis iudiciis (de ambitu et de „pecuniis repetundis) periturus et maxime de pecuniis „repetundis." Quod factum est ut indicat Schol. Bob. [2]). In exilium iit, sed a CAESARE est ex exilio restitutus [3]). Praeter GABINII, omnes hae caussae dictiones pertinent ad candidatos consulatus. Nec tamen in ceteris magistratibus ambitus nullus commissus est; nam eodem anno ambitus rei fuerunt:

VI. SUFENAS, qui a. d. III. Non Quinct. absolutus est.

VII. CATO.

VIII. PROCILIUS [4]).

CATO, qui a CICERONE nominatur est C. CATO [5]), quem SCAURUS defendit et ASINIUS POLLIO accusavit [6]). His addendus est:

IX. P. LENTULUS CRUS,

ambitus reus defensus a P. CLODIO [7]), qui quamvis CICERONIS inimicus tamen ita probavit illius nobile factum quod VATINIUM GABINIUMque defendisset, ut statim protexerit LENTULUM, unum e tribus, qui se antea incesti criminis postulassent [8]). Cadit haec causa igitur necessario in a. u. c. 701. a. C. 53 vel in finem a. u. c.

---

1) CIC. ad Q. fr. III. 4.
2) Schol. Bob. p. OR. 356. CIC. p. Rab. Post. 4 § 8.
3) CIC. ad Att. X. 8 § 3.
4) De his iudiciis vide CIC. ad Att. IV. 15.
5) ORELL. Onom. Tull. II. p. 486.
6) TACITUS Dial. de orat. 31. ASC. p. OR, 19.
7) VAL. MAX. IV. 2 § 5.
8) VAL. MAX. statum Reip. eo tempore et defensionum rationem non optime tenuisse videtur.

700. a. C. 54. nam P. VATINIUM defendit CICERO post praeturam (quo tempore cum eo in gratiam rediit a. u. c. 699. a. C. 55); igitur 700. a. C. 54. CLODIUS est interfectus a MILIONE a. u. c. 702. a. C. 52 initio anni quum POMPEIUS nondum consul creatus erat [1]). Quae quum ita sint [2]) reiicienda est opinio PIGHII scribentis [3]) LENTULUM CRUREM reum esse factum petiturum consulatum. Multo verius mihi videor rem proponere si contendo hoc iudicium actum esse in fine a. u. c. 701. a. C. 53 quum in a^um^ 702 LENTULUS petebat praeturam, quum idem a. u. c. 705. a. C. 49 consulatum gesserit [4]).

Eodem modo ut postea Scto quodam sic CATO se in praetura invisum reddidit, qui hanc ad populum tulerit legem [5]) „ut qui magistratum erant adepti si „nullum essent nacti accusatorem, ipsi apud iuratos „iudices rationem petitionis redderent." Quod ita graviter ferebant Romani praesertim tenuiores χρώμενοι τῷ δεκάζεσθαι καθάπερ ἐργασίᾳ (quibus suffragia vendere opificium erat) ut praetorem CATONEM ex rostris expulerint. Hoc tamen profecit ut qui tr. pl. fieri cupiebant eo anno quo petierunt MESSALA cett. iurarint se arbitrio CATONIS petituros apud quem deposuerunt HS. quingena, ut qui a CATONE damnatus esset id perderet ut competitoribus tribueretur; — quod cum CICERO scribit [6]) verissimo addit: „quae (comitia) si ut

---

1) Asc. p. or. 37.
2) Vide FISCHERUM ad hos annos.
3) PIGH. III. p. 388.
4) Vide Fast. Cons. ad a. u. c. 705. a C. 49.
5) PLUT. Cat. Min. 44.
6) Cic. Att. IV. 15 § 7.

„putantur gratuita fuerint plus unus CATO potuerit, „quam omnes quidem iudices." Unus eorum a CATONE damnatus est ut pecuniam competitoribus daret. CATO enim adstans tribuno comitia habenti observarat unum e candidatis ambitum commisisse.

§ 11.

Lex Pompeia.

Videndum est de *ultima* lege contra ambitum lata, *liberae* scilicet Reip. tempore. Antequam vero ipsam tractabimus legem, exponendum est de iis, quae DOMITIO et MESSALA coss. perpetrata sunt in magistratuum petitione. Consules illi (p. 134) mense Quinct. demum magistratum inierant ob vehementem ambitum in ea petitione commissum; — inierant [1]) post interregnum; [2]) nam POMPEIO [3]) non cessit quod magnopere cupiebat ut Dictator crearetur [4]) ob magnas in Rep. turbas.

Primum mentio facienda est de lege quadam quae lata est DOMITIO et MESSALA coss. vel anno sequenti a POMPEIO; duo enim de ea re proferuntur opiniones. Qua lege cautum erat μηδένα μήτε στρατηγήσαντα μήθ' ὑπατεύσαντα τὰς ἔξω ἡγεμονίας πρὶν ἂν πέντε ἔτη διέλθῃ λαμβάνειν. [5])

---

[1]) Sic etiam POMPEIUS et CRASSUS ἐκ μεσοβασιλείας (ex interregno) ἀπεδείχθησαν a. u. c. 699 a C. 55. DIO CASSIUS XXIX 31.

[2]) Raro tam longum interregnum Romae fuerat. Lepidus est de ea conditione locus CICERONIS ad TREBATIUM Ictum, de iudiciis eo tempore omnino perturbatis. CIC. ad Fam. VII. 11.

[3]) MIDDLETON Life of CICERO. I. p. 420 sqq.

[4]) APP. B. C. II. 19 sq. CIC. ad Q. fr. II. 16. III. 1—4. 7—9. ad Att. IV. 15. 16. 18. ad Fam. VII. 11. PLUT. Pomp. 54.

[5]) DIO CASSIUS XL. 46.

Indicabo primum legem vim esse nactam POMPEIO coss. III; deinde, quid hac lege sibi voluerit legislator.

Eam legem vim tandem nactam esse per POMPEIUM ex verbis DIONIS apparet: [1]) τό τε δόγμα τὸ μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενον — ἐπεκύρωσεν (ὁ Πομπήϊος). At aliud argumentum est quod rem conficit: — nempe anno post POMPEII consulatum CICERO in Ciliciam provinciam profectus est, qui omnino anno superiore in provinciam ire debuisset, si lex a DOMITIO et MESSALA esset perlata. At credo eos consules consilium cepisse, ut apparet ex DIONE l. l., illius legis ferendae, sed opus erat auctoritate et gratia, quae utrique defuerunt. Lata erat enim illa lex contra ambitum: „ne magistratus ante „quintum annum quam consules praetoresve fuissent „provincias sortirentur."

Quae verba a TYDEMANNO [2]) non recte explicata esse videntur; addit enim post verba legis: „ut scil. illud „tempus ambitus accusationibus pateret." Sed quid opus erat tantum temporis permittere ut accusari possent ii, qui nummis datis sine dubio absoluti e iudicio abirent; praesertim quum etiam accusari possent de ambitu quum ex provincia reverterentur quod v. c. in APPIO factum est. Ratio haec esse videtur: Romani honores ambibant et effusis largitionibus adipisci conabantur ut miseras provincias exhaurirent, [3]) et aes alienum solvèrent, quod in honoris petitione contraxerant. Sic iam CICERO, quum consul erat, poterat ANTONIUM a CATILINAE partibus avocare pactione provinciae [4]) i. e. electione

---

[1]) DIO CASSIUS XL. 56.

[2]) TYDEMAN. Diss. l. p. 99.

[3]) MIDDLETON Life of CICERO. II. 1.

[4]) SALL. Bell. Cat. 26. PLUT. Cic. 12.

ex duabus provinciis, ei concessa,[1]) et vidimus APPIUM suo sumtu post consulatum in Ciliciam provinciam proficiscentem,[2]) quippe qui tam vehementer provinciam spoliare cuperet, ut legem curiatam exspectare non posset. Si igitur per quinque annos abstinendum esset rapinis, furtis cett. in provinciis non tantam pecuniam credo, collocarent candidati in suffragiorum emtione vel in praerogativa, ut fecerunt MESSALA cett., nam iam antea hoc erat observatum: „nonnullorum amicorum studia mi-„nui in eos, a quibus provincias contemni intelligant,"[3]) et sine dubio etiam studia illorum amicorum refrixerunt in eos qui post quinque demum annos haberent quod amicis dare et obiicere possent. Praeterea hoc mutatum erat, ut qui consulares et praetorii in provinciam nondum ierant[4]) etiam provinciam obtinerent. Sic et CICERONI contra voluntatem et opinionem accidit ut cum imperio in provinciam iret, quum antea liberum esset magistratu functis in urbe manere vel in provinciam ire, quod CICERO scribit: „postremo tu (s. SULPICIUS) in provinciam „ire noluisti. Non possum id in te reprehendere, quod „in me ipso et praetor et consul probavi."[5]) POMPEIUS tamen fecit unam in consulatu exceptionem; sibi enim Hispaniam in quinquenium decrevit[6]) et ne invidia inde nasceretur simul CAESARI aliquid erat concedendum. Huic igitur alia exceptio dabatur alius capitis legis Pompeiae. Erat enim cautum eadem lege quae inscri-

---

1) CIC. in Pis. 2 § 5.
2) CIC. ad Att. IV. 16 § 12.
3) CIC. p. Mur. 20 § 42.
4) CIC. ad Fam. III. 2.
5) CIC. p. Mur. 20. § 42.
6) APP. B. C. II. 24. PLUT. Pomp. 55. DIO CASSIUS XL. 56.

bebatur de *iure magistratuum*, ut absentis ratio [1]) in petitione ne haberetur. [2]) At τοῦ Πομπηΐου ἔτι ὑπατεύοντος καὶ οὐδὲν ἀντειπόντος ἐκεκύρωτο per X tr. pl. ut CAESARIS absentis ratio haberetur. [3]) Scribit APPIANUS id auctore CAESARE esse factum a tr. pl.; CICERO contra auctor est ipsum POMPEIUM per tr. pl. id effecisse [4]) cui adsentiuntur DIO CASSIUS [5]) et SUETONIUS. [6]) Hic rem sic narrat: „acciderat ut is (POMPEIUS) — ferens eo capite, „quo a petitione honorum absentes submovebat, ne „CAESAREM quidem exciperet per oblivionem, ac mox „lege iam in aes incisa et in aerarium condita corri- „geret errorem." Simultates eo tempore magnas iam exstitisse POMPEIUM inter et CAESAREM non est quod dubitemus. POMPEIUS πάντα ἦν τότε ἐν Ῥώμῃ; [7]) qui ab eo exterminabantur (et erant illi sat multi) ad CAESAREM confugiebant et quid moliretur MAGNUS ad eum deferebant. Interea gravissimam cladem passa est Resp. in CRASSO, non solum quod a Parthis exercitus Rom. est profligatus sed quod CRASSUS est interfectus, qui

---

1) DIO CASSIUS l. l. CIC. ad Att. VIII. 3 § 2.

2) Ne quis putet novi quid POMPEIUM hac in re sanxisse; erat hoc iam ante VIII annos lege definitum; POMPEIUS hoc praeceptum quod candidati largitionibus inefficax reddiderant ἀνενεώσατο i. e. restituit, in vitam revocavit. DIO CASSIUS XL. 56. Adiecit huic praecepto aliud quid, quo omnino *nullam* reddidit totam rem; sanxit scil.: neminem hac lege solvi posse nisi cui nominatim hoc fuerat concessum, quod eodem redit, ait DIO l. l. ac si omnino non prohibuisset, nam qui rerum potiti erant facile hoc effecturi erant ut sibi illius legis vacatio concederetur.

3) APP. B. C. II. 25.

4) CIC. ad Att. VIII. 3 § 2.

5) DIO CASSIUS XL. 56.

6) SUET. Caes. 28. Dissentitur v. BUREN diss. de CN. POMPEIO p. 51.

7) APP. B. C. II. 25.

multum valuit in rep. et qui solus fere prohibere potuisset ne bellum civile oriretur inter POMPEIUM et CAESAREM [1]), praesertim cum vinculum, quo POMPEIUS erat cum CAESARE iunctum, matrimonium IULIAE, huius morte ruptum esset. Quae duae caussae multo citius quam ceteroquin factum esset, facem belli civilis accenderunt. [2])

Ambitus candidatorum consulatus in a. u. c. 702. a. C. 52 erat immanis. Candidati consulatus (nam in illius honoris petitione pessime committebatur ambitus) vi et armis suffragia sibi comparare studebant. Petierunt T. ANNIUS MILO, P. PLAUTIUS HYPSAEUS, Q. METELLUS SCIPIO [3]) consulatum, non solum largitione palam profusà, sed etiam factionibus armatorum succincti [4]). In eum annum CLODIUS petebat praeturam. Omnia quae in iis petitionibus acta sunt exponuntur ab ASCONIO et in causae dictionibus saepius erunt repetendae [5]). De his temporibus sic scribit VELLEIUS PATERCULUS [6]): „tum in gladios caedes„que civium furente ambitu, cuius neque finis reperie„batur nec modus, tertius consulatus soli CN. POMPEIO — „delatus est. — Eius consulatus omnem vim in coerci„tionem ambitus exercuit." In tantis turbis POMPEIUS pro consule ad urbem veniebat [7]) quum Sctum factum est ut interrex et tr. pl. et POMPEIUS viderent; „ne quid „detrimenti Resp. caperet." Nam fiebant illo tempore

---

1) MIDDLETON Life of CICERO I. p. 424.

2) MIDDLETON Life of CICERO I. 417 sq. 424, 443.

3) Vide CHAIS V. BUREN Diss. iurid. inaug. de CN. POMPEIO et de legibus ab eo latis L. B. 1823. § 15. p. 48 sq.

4) Asc. in Mil. p. OR. 31.

5) Asc. l. l. et p. 32. 36.

6) VELL. PAT. II. 47.

7) Asc. in Mil. p. OR. 35. DIO CASSIUS XL. 50.

alii ex aliis interreges, qui comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus et manum armatam habere non poterant. Quum haec acciderunt (ut ex mentione interregni apparet post Kal. Ian. a. u. c. 702. a. C. 52) visum est optimatibus POMPEIUM solum creare consulem sine collega, quum alii dictatorem eum dici vellent. Consul a. d. v Kal. Mart. mense intercalari [1]) ab interrege SERVIO SULPICIO creatus [2]) est, statimque consulatum iniit. Ut enim supra monuimus ex CICERONE, qui ab interrege creantur statim ineunt magistratum; igitur accusari non possunt, quod vidimus in MESSALA [3]). POMPEIUS post diem tertium de legibus novis ferendis retulit, quas ex Sto protulit [4]) alteram de vi, alteram de ambitu, qua quid sancitum fuerit nunc est exponendum. Quo consilio et cur hanc legem de ambitu tulerit scribit APPIANUS [5]), quod POMPEIO videretur praesertim largitionibus et ambitu resp. tot tantisque dilacerata esse discordiis civilibus (νοσεῖν). Utraque lex erat, ut multis videbatur, privilegium in MILONEM; igitur COELIUS tr. pl. amicus MILONIS his legibus resistere voluit, sed frustra [6]). POMPEIUS usus est eadem medicina qua antea CALPURNIUS [7]): dicebat se armis, si esset

---

[1]) Falsam esse igitur opinionem REINII per se apparet quum scribat op. l. p. 717. „Romam per semestrem coss. non habuisse." Cf. DIO CASSIUS XL. 47.

[2]) APP. B. C. II. 23. DIO CASSIUS XL. 50.

[3]) ASC. p. OR. 37. cf. FISCHERUS ad annum 702. a. C. 52.

[4]) SIGONIUS de Iud. II. 30. Observandum est maiorem partem legum de ambitu esse latam ex Scto.

[5]) APP. B. C. II. 23.

[6]) ASC. in Mil. p. OR. 37.

[7]) ASC. p. OR. 75.

coactus Remp. defensurum [1]). Destitit COELIUS et ita lex de ambitu perlata est, qua sancitum [2]).

I. ut poena gravior esset.
II. ut forma iudiciorum brevior existeret. } [3]).
III. ut qui alterum indicaret ambitus ipse liber esset si huius criminis iam damnatus fuerat [4]).
IV. ut qui magistratum gessissent ab eius Consulatu primo ad tertium ad actorum rationem reddendam possent vocari [5]).
V. ne quis reum laudaret [6]).
VI. ut primum testes darentur.

Ad I. Quae fuerit illa poena gravior lege Pompeia instituta nescio [7]); dicit V. BUREN: fortasse perpetuum exilium fuisse damnatis irrogatum. Si poena gravior est irrogata, ut apparet ex ASCONIO, ratio suadet ut cogitemus de aqua et igni interdictione in perpetuum. Quod tamen legitur apud APPIANUM [8]): „καὶ πάντων „φυγὴ κατέγνωστο" non significat omnibus fuisse aqua et igni interdictum, sed haec verba solum indicant omnes istos reos fuisse damnatos. Poenam eam fuisse aqua et igni interdictionem in perpetuum multi [9]) conficere volunt ex tribus locis [10]), sed nemo hoc ex illis vocabulis facile eruet. Legitur nihil aliud quam ambitus damna-

---

1) ASC. p. OR. 37.
2) V. BUREN diss. l. p. 103 sqq.
3) ASC. p. OR. 37.
4) APP. B. C. II. 24.
5) APP. B. C. II. 23.
6) DIO CASSIUS XL. 52.
7) V. BUREN op. l. p. 104. Cf. MANUTIUS de Legg. 28.
8) APP. B. C. II. 24.
9) DRUM. II. p. 352. init. REIN. op. l. p. 718.
10) CIC. ad Att. IX. 14. X. 4. § 8. CAES. de B. C. III. 1.

tos lege Pompeia, fuisse in integrum restitutos. Quod factum est a. u. c. 705. a. C. 49. paullo post igitur quam essent damnati. Addi hic potest locus SUETONII [1]), qui idem continet ac tres reliqui, quique igitur pro illa sententia nihil facit. Quam necessarium tamen fuerit ambitum severiore coërcere lege haec verba PLUTARCHI indicant: [2]) οἱ μὲν τὰς ἀρχὰς μετιόντες ἐν μέσῳ θέμενοι τραπέζας ἐδέκαζον ἀναισχύντως τὰ πλήθη, κατῄει δ' ὁ δῆμος ἔμμισθος οὐ ψήφοις ὑπὲρ τοῦ δεδωκότος ἀλλὰ τόξοις καὶ ξίφεσι καὶ σφενδόναις ἁμιλλώμενος.

Ad II. Forma iudiciorum brevior exstitit; nam ut in causis de vi, sic etiam in causis de ambitu lex iubebat prius testes dare (per triduum) [3]) deinde uno die atque eodem et ab accusatore et a reo perorari, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. Antea etiam tempus legitimum in iudiciis fuit; nam scribit PS. ASCONIUS l. l. ad verba CICERONIS: „Ut si meis horis in accusando uti „voluissem"; cett. „XX diebus scil. Hi enim dabantur „ad accusandum legitimi, totidemque defensori" et mox: „alii ferunt hos XX dies; alii pauciores, alii plures." Ex brevi tempore concesso reo, ut se defenderet, per se sequitur numerum patronorum post hanc legem minorem fuisse quam antea neque opus est ut cum VAN BUREN [4]) putemus lege Pompeia fuisse cautum ut numerus patronorum definiretur, nam per se apparet, si reo tres horae datae sunt, eum non usurum VI patronis ut SCAURUS, vel XII, ut post bella civilia, ante legem

[1]) SUET. Iul. Caes. 41.

[2]) PLUT. Iul. Caes. 28.

[3]) ASC. p. OR. 37, 42. cf. PS. ASC. p. OR. 166 de antiquiore tempore. BEAUFORT Rép. Rom. II. p. 108.

[4]) V. BUREN Diss. l. p. 193, 105. Sic etiam BOUCHAUD. op l. p. 420.

Iuliam factum est. At stabilitur opinio ea diserto testimonio DIONIS [1]), certe si fidem verbis V. BUREN habeas, sed ille locum non intellexit; nam apud DIONEM sic legitur: *καὶ τὸν τῶν συναγορευόντων ἑκατέρῳ τῷ μέρει ἀριθμὸν ὥρισεν, ὥστε μὴ ὑπὸ τοῦ πλήθους αὐτῶν τοὺς δικαστὰς θορυβουμένους ἐκταράττεσθαι.* Non credo iudices deterreri et metuere coepisse si v. c. VI patroni reo aderant. Neque patroni, credo, *utrique parti* adsunt, *ἑκατέρῳ τῷ μέρει*; nisi forte quis putat accusatori esse opus patronis; *συναγορεύοντες* sunt *advocati* qui consentiunt, qui conspirant cum iis, qui causam agunt vel dicunt. Voc. Latinum fortasse induxit V. BUREN in errorem. [2]) Quae dixi optime confirmantur ea oratione CICERONIS quae habita est ad normam horum iudiciorum brevioris formae, nempe pro MILONE, reo de vi ubi orator diserte indicat multo minorem esse eorum numerum qui consilium et oratorem circumdabant, quum dicat: „tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui „quocunque inciderunt, veterem consuetudinem fori et „pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim „corona concessus vester cinctus est — non usitata „frequentia stipati sumus" [3]).

Huc etiam referenda sunt verba APPIANI [4]): *ἵνα τε μὴ δείσειαν οἱ δικασταὶ αὐτὸς* (POMPEIUS) *αὐτοὺς ἐπώπτευε στρατιὰν περιστησάμενος.* Non id fecit certe ut terrorem, quem iudicibus iniecerant patroni, tolleret [5]). Erat

---

[1]) DIO CASSIUS XL. 52.

[2]) In eundem errorem incidit BOUCHAUD. op. l. p. 420.

[3]) CIC. p. Mil. 1 § 1. Non erat igitur novi iudicii nova forma extraordinaria ut multis visum est. TAC. Dial. de OR. c. 38. Recte de ea re exposuisse videtur GEIB. op. l. p. 211. 322 sqq.

[4]) APP. B. C. II. 24.

[5]) CIC. p. Mil. 1 § 2, 3.

igitur lege Pompeia cautum de advocatis, de amicis accusatoris et rei, non de patronis [1]).

Dicebantur eo tempore caussae ad clepsydram [2]), sed agebant saepius plures patroni pro reo. Sic v. c. CICERO scribit [3]): „cum lege Pompeia, ternis horis [4]) ad dicen„dum datis ad simillimas causas inter se vel potius eas„dem novi veniebamus quotidie. Quibus quidem causis „tu etiam BRUTE praesto fuisti *compluresque et nobiscum* „*et solus egisti.*"

Pro MILONE contra unus CICERO verba fecit [5]). In MILONEM vero tres dixerunt, qui ex lege duabus usi sunt horis nempe APPIUS MAIOR, M. ANTONIUS et P. VALERIUS NEPOS. Frenos tum esse impositos eloquentiae scribit TACITUS [6]), ita tamen ut omnia in foro, omnia legibus, omnia apud praetores gererentur.

Ad III. Haec opinio originem duxit ex verbis APPIANI [7]), MEMMIUM damnatum indicasse SCIPIONEM, POMPEII socerum, quoniam lege Pompeia praemium dabatur iis, qui aliquem *indicarent*, quod praemium erat impunitas. Pendent haec omnia a vera verborum explicatione et iam videndum est quid sit *indicare*, vel *index* [8]), nempe: „is qui facinoris, cuius est socius, latebras indicat, im„punitate proposita" [9]). Quod si ad nostram causam

[1]) Quae si vera sunt tuto possumus carere disquisitione a V. BUREN instituta, quot tandem patroni utrique parti essent concessi.

[2]) POLLETI Hist. for. Rom. I. 11. cf. SIGON. de Rep. Ath. III. 4.

[3]) CIC. Brut. 94 § 324.

[4]) CICERO, ut ex mentione ternarum horarum apparet, solum loquitur de defensionibus.

[5]) ASC. ap. OR. p. 42.

[6]) TAC. de clar. orat. a. 38.

[7]) APP. B. C. II. 24.

[8]) Melius erit opinor hac in re Latinorum vocc. reddere rationem.

[9]) PS. ASC. p. OR. 114.

accommodaris significat: si quis indicaverit i. e. demonstraverit ambitus damnatus alium idem commisisse crimen, [1] vel (quod etiam in praemiis ex aliis legibus de ambitu vidimus) si quis alium ambitus damnaverit liber a poena irrogata esto. Si igitur MEMMIUS damnasset SCIPIONEM impunitatem sui criminis impetrasset; at non damnavit; igitur ipsi MEMMIO poena est irrogata. Is enim impunitatem accipiebat, auctore DIONE CASSIO [2]), qui duos eiusdem vel minoris, aut unum maioris criminis condemnasset (εἷλεν) quam cuius ipse erat damnatus. Ex verbis DIONIS facile intelligitur, sicut ex analogia praemiorum ex aliis legibus propositorum, fuisse etiam praemia iis concessa ex lege Pompeia, qui ipsi non damnati alios huius criminis damnaverant. Potest hoc facillime demonstrari testimonio ASCONII [3]), qui dicit MILONEM fuisse damnatum de ambitu accusante APPIO, qui quum praemium ei lege daretur negavit. Is igitur spe praemii non accusavit; non erat ipse ambitus damnatus, nam impunitatem aqua et igni interdictionis tunc non negasset, unde sequitur necessario alia etiam praemia fuisse concessa iis, qui ipsi ambitus non dam-

---

[1]) Ambitus dicitur *peccatum* a CIC. p. Cl. 40 § 114.

[2]) DIO CASSIUS XL. 52.

[3]) Asc. p. OR. 54. De huius loci scriptura non constat inter editores: ORELL. edidit: „accusator fuit APPIUS CLAUDIUS et cum ei praemium ex lege daretur, negavit † reo ita. Subscripserunt" cett. MADVIG. correxit: cum ei praemium ex lege daretur *negavit se eo uti.* (ed. Interprett. CIC. Hauniae 1828). Sed liceat haec mutatio auctoritate nitatur summi viri tamen eam incertam esse arbitror. *Negavit se eo usurum* [*vel se eo uti nolle*] tunc dicendum fuisset, sed non per praesens. Nam *negare* sign. *abnuendi* ita construitur: „Causa vero perorata, sententias se rogaturum negavit." CIC. ad Q. fr. II. 1. [Quod K. HALM, scribit CIC. Orat. Select. V. p. 16. Lips. 1850. ad hanc MADVIGII emendationem confirmandam, esse moris apud Romanos hac dictione uti, certe non apparet ex exemplo quod ille apposuit. CIC. ad Fam. II. 17 § 7.]

nati alios huius criminis convicissent [1]). Absurda est opinio BOUCHAUDII [2]), qui omnia de praemiis ex lege Calpurnia et ex lege Pompeia mirum in modum coniunxit. Primo credit iure in damnatorum locum suffici [nempe si illi designati erant magistratus] qui reum damnaverant; secundo contendit praeter hoc praemium aliud fuisse nempe ut ex tribu urbana pervenirent in rusticam; quod demonstratur exemplo BALBI qui in Crustuminam pervenerat — sed primum indicandum est BALBUM fuisse receptum in tribum urbanam, quum civitatem a POMPEIO accepit, antequam illud argumentum aliquid efficere possit, quod non admodum verisimile videtur. Tertio BOUCHAUD invenit praemium quod APPIO esset datum nempe argumentum. Quod ille scil. homo unus ex ditissimis negavit; nihil aliud tamen potuit ei concedi, nam erat in honestissima tribu, nec erat antea damnatus de ambitu; confugiendum erat igitur ad nummorum praemium. Quid cogitandum igitur est de eo legislatore, qui praemia in legibus proposuit, ita ut qui argento non egent, nummos accipiant; quibus nummis opus est concedatur, ut cum aliis quam cum amicis et tribulibus ferant suffragia.

Poterat MEMMIUS in eo iudicio deplorare Reip. conditionem ut fecit, sed stulti erat contra voluntatem POMPEII illis temporibus aliquem accusare spe praemii, praesertim POMPEII socerum [3]); aeque erat ridiculum tunc temporis aliquem defendere, quem POMPEIUS perdere voluit.

---

1) Quae fuerint illa praemia, nescio, sed credo recte me videre si cogitem fuisse accusatoribus concessum ut magistratus maiores ante annum suum caperent.

2) BOUCHAUD. op l. p. 411.

3) PLUT. Pomp. 55.

Ex hoc principio videtur interpretandum quod posui:

IV. Ut qui magistratum gessissent ab eius (POMPEII) consulatu primo ad tertium ad actorum rationem reddendam possent vocari, *νόμῳ τε ὥριζεν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ πρῶτον ὑπατείας ἐς τὸ παρὸν εὐθύνειν τὸν ἐθέλοντα* [1]). Quae reddidi Latine non plane leguntur in Graecis, ubi de magistratibus nulla fit mentio, sed veram esse eam interpretationem inde probatur, quod statim sequatur inter I et III Pompeii consulatum CAESAREM etiam fuisse consulem, qui igitur ad rationem reddendam vocari posset. Hoc caput proprie nihil valere ad ambitum coërcendum per se apparet; POMPEIUS solum studebat, quod recte CAESARIS amici videbant, adversarios e medio tollere; iis qui a suis stabant partibus optime pepercit.

Ex hoc legis capite factum est ut MESSALA, MEMMIUS et SCAURUS sint de ambitu petiti ex lege Pompeia.

Ad V. Cum iis, quae diximus ad II de forma breviore iudicii et de multitudine a iudicio ipso arcenda conveniunt optime quae hic apposui „ne quis reum lau-„daret". Erat hercle necesse ut istae laudationes e foro Romano tollerentur, ut ita aliud genus corrumpendi non diutius obstaret iurisdictioni. Laudationes enim quae antea erant non reprehendo, sed quales exstiterint h. t. paucis dicam ut appareat, quam turpes eo tempore arripuerint Romani modos, ut amicos vel affines, immo eos, quos fere non noverant ex iudicum manibus eriperent. SCAURUM v. c. laudarunt X homines summae auctoritatis, intra quos IX erant consulares [2]); unus adolescens laudavit, qui in laudatione multa humiliter et cum lacrimis locutus est, qua laudatione multi permo-

---

1) APP. B. C. II. 23.

2) Horum omnium nomina habet ASC. ad orat. p. Scauro p. OR. 28, 29.

vebantur. Neque hoc satis videbatur. Absentes laudabant reos per tabellas: „maior pars laudatorum SCAURI aberat" inter quos POMPEIUS, qui pro consule extra urbem morabatur. Fiebat talis laudatio absentis per tabellas obsignatas [1]). Sic saepissime rei laudabantur ab incolis provinciarum [2]), quibus profecerant, vel a civibus suis si ex municipiis erant oriundi [3]). Multam operam dabant ut legitimum laudationum numerum sibi compararent qui erat x laudationum; quod CICERO obiicit VERRI, qui duas laudationes protulerat [4]): „primum „ut in iudiciis, qui x laudatores dare non potest honestius est ei nullum dare, quam illum *quasi legitimum* „*numerum consuetudinis* non explere." [5]). Quod si laudatores VERRES exstiterint [6]) dubitandum non est, recte fecisse POMPEIUM, qui hasce sordes ex iudiciis abiecerit. *πάμπολλοι γὰρ ὑπὸ τῶν ἀξιοπίστων ἐπαινούμενοι ἐξηρπάζοντο* [7]). Hoc enim vel maxime quondam iudicia corruperat. POMPEIUS omnem laudationem iudicialem [8]) sustulit [9]). Quod tamen non religiose servatum esse videtur; nam CICERO scribit ad APPIUM a. u. C. 704.

---

1) CIC. p. Flacco 15 § 36 sqq.

2) BEAUFORT Rép. Rom. II. p. 108 sq.

3) CIC. p. Coel. 2 § 5.

4) CIC. Verr. II. V. 22 § 57.

5) Quod CICERO tamen eo l. paullo post dicit, VERREM unam afferre laudationem, falsum est. Laudaverunt eum Mamertini et Syracusani. CIC. Verr. II. II. 5 § 13. 18 § 45. v. 18 § 47. Voluit enim orator Syracusanorum laudationem detrahere. CIC. Verr. II. II. 5 § 15.

6) Quam parum istis laudationibus standum esset vel exinde indicari potest, quod CICERO VATINIUM magnifica laudatione prosecutus sit. CIC. ad Fam. I. 9.

7) DIO CASSIUS XL. 52.

8) POLLETI HIST. for. Rom. II. 4.

9) DIO CASSIUS XL. 52.

a. C. 50: „se nunquam impedimento fuisse legationi, „quae in illius laudem mitteretur [1]). At ipse POMPEIUS legem non observavit; simulac enim PLANCUS petebatur [2]) ad iudices misit βιβλίον ἔπαινόν τε ἅμα αὐτοῦ καὶ ἱκετείαν ἔχον [3]). Cuius tamen libelli laudatorii nulla habita est ratio auctore CATONE, qui iudex in PLANCUM sedebat ut DIO scribit l. l., quum PLUTARCHUS [4]) dicat CATONEM quum laudatio praelegeretur ὑποσχέσθαι τὰ ὦτα ταῖς χερσίν.

Ad VI. Erat lege Pompeia cautum ut primum testes darentur per triduum [5]); quod antea secus erat; nam testes proferebantur postquam peroraverant rei patroni. Quod uno testimonio CICERONIS indicare non erit supervacaneum [6]): „ubi est igitur illa exspectatio, quae ver„sari in iudicio solet? nam antea, quum dixerat accu„sator acriter et vehementer, quumque defensor sup„pliciter demisseque responderat, tertius ille erat exspec„tatus locus testium". Romani omnibus modis testes circumvenire conabantur [7]); invehuntur in eos, qui partim sponte i. e. pro reo, partim coacti i. e. per testimonii denuntiationem [8]) testimonium dicebant [9]). Ad h. l. etiam

---

[1]) Cic. ad Fam. III. 10 § 6. Erat enim APPIUS tunc temporis reus, vide § seq. n. 6. p. 203.

[2]) Aliud credo agens BOUCHAUD p. 421 scripsit PLANCUM reum fuisse de ambitu; quod secus est; in iudicium vocatus erat διὰ τὴν τοῦ βουλευτηρίου ἐμπρησιν. DIO CASSIUS XL. 55 cf. ibid. 49.

[3]) DIO CASSIUS XL. 55.

[4]) PLUT. Pomp. 55. Cat. Min. 48.

[5]) ASC. PED. p. OR. 37.

[6]) Cic. p. Flacco. 10 § 21.

[7]) BEAUFORT Rép. R. II. p. 107, 108. Cf. tota oratio in VATINIUM testem.

[8]) REIN. Röm. Priv. Recht. p. 476. KLOTZ. CIC. sämmtl. Red. II. p. 704.

[9]) Solebat enim potentissimorum hominum *caput* in discrimen adduci, quorum amici testimonium in reum ulcisci conabantur.

referam numerum iudicum et reiectionem, quae ex lege Pompeia locum habuit [1]). Reiectio fiebat postquam causam dixerunt patroni [2]) μετὰ τοὺς λόγους. Reiiciebantur ex singulis ordinibus quini, a reo et ab accusatore [3]). Antea v. c. in iudicio VERRIS ternos solum reiicere poterant iudices, accusator et reus, quod apparet ex CICERONE [4]); quamvis multi credant fuisse potestatem utrique parti VI reiiciendi quod quam falsum sit ex ipso loco CICERONIS perspicuum est. Scribit v. BUREN [5]) effectum esse ut iustitia potius et veritas, quam eloquentia et ambitus in foro possent triumphare et plura huiuscemodi, quae vera essent in civitate libera, non in urbe Roma illius temporis ubi „τρισαρεοπαγῖται ambitum, „comitia, interregnum, maiestatem, totam denique Remp. „flocci non faciunt" [6]). Parum iuste iudicia tunc acta esse demonstrari potest tum ex causa SCIPIONIS, POMPEII generi, tum ex causae dictionibus M. SAUFEII [7]).

§ 12.

Rei ex lege Pompeia.

Praemiis non exiguis propositis in eorum gratiam,

---

[1]) Cf. omnino de iudicibus GEIB. op l. p. 302 sqq. De iudicibus et reiectione ex lege Pompeia vide eundem p. 311 sqq. et n. 173—175.

[2]) DIO CASSIUS XL. 55. PLUT. Pomp. 55. Cat. Min. 48. Hinc apparet cur CATO fuerit reiectus iudex, qui noluerit audire laudationem POMPEII, quum PLANCUS reus erat.

[3]) ASC. p. OR. 53.

[4]) CIC. Verr. II. I. § 18.

[5]) V. BUREN diss. l. p. 104.

[6]) CIC. ad Att. IV. 15 § 3. Nam quod scripsit CICERO a. u. c. 700 a C. 54. de conditione reip. Rom. ni fallor etiam valet de temporibus, quae mox secuta sunt.

[7]) ASC. p. OR. 54 sqq.

qui alios ambitus condemnaverant [1]) mirum nemini accidere potest quod dicit APPIANUS: [2]) καὶ πλῆθος ἦν αὐτίκα δικῶν ποικίλων. [3]) Paucorum tamen notitia ad nos pervenit.

I. T. ANNIUS MILO.

Profusis non solum largitionibus, sed etiam armatis stipatus, consulatum petierat. [4]) Si CICERONI fides habenda est sine dubio honorem quem petiit, esset nactus; [5]) quod quum CLODIUS videret, summo consensu P. R. MILONEM consulem fieri, contulit se, praeturae appetens, ad MILONIS competitores ut iis suffragaretur. Inciderunt postea ante comitia consularia caedes CLODII aliaeque in urbe turbae, ita ut comitia differrentur et res ad interregnum rediret; quae postea acta sunt, iam vidimus. MILO erat ex inimicis POMPEII, qui eum perdere voluit. Accusabatur uno eodemque tempore: [6])

de vi, de sodaliciis et de ambitu.

Accusatus est de ambitu ab APPIIS CLODIIS adolescentibus, quorum divinatio habita est quaestore A. TORQUATO. M. MARCELLUS pro MILONE obtinuit ut causam de am-

---

1) DIO CASSIUS XL. 52.
2) APP. B. C. II. 24.
3) PLUT. Cat. Min. 48.
4) ASC. p. OR. 31.
5) CIC. p. Mil. 9 § 25.
6) ASC. p. OR. 39 sq. Ex h. l. ASCONII in fine p. 39. iure potest aliquis conficere MILONEM fuisse petitum ab APPIIS etiam de alio crimine quam de *ambitu*: „postulatus est MILO ab APPIIS CLODIIS adoles„centibus itemque de ambitu ab iisdem APPIIS et praeterea de vi ab „C. CETHEIO et CORNIFICIO." Hoc REINIO quoque videtur op. l. p. 733, qui cogitat de altera accusatione de vi, quod demonstrari potest ex ASCONIO p. OR. 53 sqq. nam apparet APPIUM fuisse accusatorem de vi, quum CICERO pro MILONE dixit. Cf. CIC. p. Mil. 22 § 59. Apparet hoc luculenter ex ASC. p. OR. 54.

bitu non prius diceret, quam de vi esset perfectum. Cuius criminis cum convictus fuerit maxime opera APPII CLAUDII MAIORIS [1]) postero die reus ambitus factus apud M. TORQUATUM, absens damnatus est. [2])

II. Q. CAECILIUS METELLUS PIUS SCIPIO, POMPEII socer; is enim SCIPIONIS filiam P. CRASSI triumviri filii viduam uxorem duxit post IULIAE mortem. [3]) Accusatus est de ambitu consule POMPEIO III a. C. MEMMIO; sed frustra. POMPEIUS enim pro reo laborabat, vestem mutabat, a iudicibus reum deprecabatur, ita ut iudicium de eo habitum non sit. [4]) VALERIUS MAXIMUS sic scribit: [5]) „P. SCIPIONEM soccrum suum, legibus noxium „quas ipse tulerat, in maxima quidem rerum et illus„trium ruina muneris loco a iudicibus deposcere, mari„talis lecti blanditiis statum Reip. moderando." Hunc socerum POMPEIUS Kal. Sext. collegam [6]) sibi adscivit in consulatu. Quod si reputemus quomodo suas ipse observarit leges POMPEIUS non est quod miremur VALERIUM MAXIMUM loqui de illius superbia et impotentia TACITUMque eum dicere: „suarum legum auctorem „eundem et subversorem." [7])

---

1) Asc. p. OR. 54. coll. p. 40.

2) DRUM. I. p. 47 sqq.

3) PLUT. Pomp. 55. DIO CASSIUS XL. 51.

4) DIO CASSIUS XL. 53. f. APP. B. C. II. 24. f.

5) VAL. MAX. IX. 5 § 3. f. Potuisset aliquis in animum inducere praenomen *Publii* non convenire eidem homini, quem supra *Quinctum* nominavi. Quae res tamen mihi ita videtur interpretanda. Erat ille P. CORN. SCIPIO, qui adoptatus a Q. METELLO, huius nomen et praenomen sibi adsumpsit. Si quis vero eum dicat SCIPIONEM [ut VAL. MAX. h. l.] necesse est ut praenomen addatur *Publii*. Vide ORELLII Stemma SCIPIONUM Onom. Tull. III. p. 184. ult.

6) PLUT. Pomp. 55. f. APP. B. C. II. 25.

7) TAC. Ann. III. 28.

III. P. PLAUTIUS HYPSAEUS.

Quae profuit SCIPIONI POMPEII impotentia, hunc perdidit. Ad unum omnes scriptores, qui de hoc iudicio agunt indignantur POMPEII facinus · imprimis VALERIUS MAXIMUS, [1]) qui de eo: „CN. autem POMPEIUS, quam „insolenter; qui balneo egressus ante pedes suos prostra„tum HYPSAEUM ambitus reum et nobilem virum et sibi „amicum iacentem reliquit contumeliosa voce procul„catum: „*nihil* enim *eum agere quam ut convivium suum* „„*moraretur.*"" [2]) HYPSAEUM damnatum esse, non est quod addam. Quis vero eum postulaverit, nescio. [3])

IV. M. CALIDIUS,

ex repulsa postulatus a duobus GALLIIS. [4]) Causam dixit eodem anno quo SERVIUS. Eum ex repulsa consulatus petitum esse inde conficio, quod a. u. c. 697 a. C. 57 praetor esset, quum de CICERONIS reditu agebatur. [5]) Non dubitandum est inter duos hosce GALLIOS fuisse Q. GALLIUM, quem CALIDIUS antea accusaverat. Absolutus est, nam paullo ante initium belli civilis sententiam dixit in senatu. [6]) Ipse pro se dixit ut scribit COELIUS: [7]) „CALIDIUS in defensione sua fuit disertissi„mus, in accusatione sua frigidus." Ad quamnam accusationem haec ultima pertineant, nescio. Nam ridiculum est illa vocc. referre ad accusationem quandam CALIDII, quum petiit Q. GALLIUM; haec enim causa acta

[1]) VAL. MAX. IX. 5 § 3.
[2]) Idem narrat PLUT. Pomp. 55 aliique.
[3]) Cf. de tribus hisce caussae dictionibus MIDDLETONEM Life of CICERO I. p. 432—439.
[4]) CIC. ad Fam. VIII. 4.
[5]) CIC. p. red. in Sen. 9 § 22.
[6]) CAES. B. C. I. 2 m.
[7]) CIC. ad Fam. VIII. 9. f.

erat ante VI annos et CICERO ipse quid tunc actum esset optime sciebat; ipse enim GALLIO adfuerat.

V. SERVIUS,

designatus tr. pl., ut scribit COELIUS [1]) „condemnatus „est; in eius locum petiit CURIO." Quae verba egregie faciunt pro iis, quae dixi, [2]) non suffici in damnatorum locum qui reum damnassent. In damnati enim SERVII locum CURIO petiit. De hac causa plura non inveni; nisi quod acta fuerit a. u. c. 703. a. C. 51, quod apparet ex epistola COELII de ea re ad absentem in Cilicia CICERONEM scribentis. [3])

VI. APPIUS CLAUDIUS PULCHER,

accusatus est ambitus, quum iam erat reversus ex provincia Cilicia, ubi ei successit CICERO [a. u. c. 703 a. C. 51]. Scribit REIN. [4]) eum esse petitum ambitus ob petitionem censurae, quod secus esse unicuique persuasum erit, qui obiter inspexerit ep. COELII; [5]) nam APPIUS ex provincia reversus erat; postulabat triumphum, igitur extra urbem erat, vel quod eodem redit profiteri nondum potuit. Nam „simulac DOLABELLA accessit „ad tribunal, introiit urbem, triumphique postulationem „abiecit." [6]) APPIUS absolutus est utriusque criminis

[1]) CIC. Ep. ad Fam. VIII. 4 § 2.

[2]) Videtur hic locus facere contra ea, quae posuimus de SATURNINO tr. pl. non III. designato p. 71. n. 1. At non ita est. Comitia consularia iam habuerat consul, quum tribunus pl. designatus est. Nam CALIDIUS, qui repulsam tulerat in petitione consulatus, iam erat postulatus ambitus.

[3]) CIC. ad Fam. VIII. 4 § 2.

[4]) REIN. op. l. p. 733.

[5]) CIC. ad Fam. VIII. 6. init.

[6]) Ne quis mihi obiiciat hanc causam dixisse APPIUM de maiestate; eodem enim tempore absolutus est utriusque criminis et maiestatis et ambitus. CIC. ad Fam. III. 11, 12. — Sit igitur prius iudicium de

[ambitus et maiestatis] quod tum CICERONIS testimonium l. l. indicat tum Fasti Consul. ex quibus apparet eum censura esse functum a. u. c. 704. a. C. 50.

§ 13.

De ambitu post legem Pompeiam usque ad AUGUSTI *principatum.*

Eodem anno quo lex Pompeia lata est, Sctum est factum in CATONIS sententiam, quo cautum, ut qui honores a populo petebant, ipsi prensarent, non per alios peterent δι' ἑτέρου δὲ μὴ δεῖσθαι. [1]) Aegre plebs fertur hoc Sctum tulisse, cuius rei PLUTARCHUS eandem rationem affert quam CICERO adduxit aliquot annis antea contra eundem CATONEM in eodem fere argumento; [2]) aegre enim tulit plebs, quod quum pecuniam non amplius pro suffragatione acceperit καὶ τὸ διδόναι χάριν sibi esse ademtum. CATO, qui non sivit ut in ea petitione sua amici populum prensarent, honorem quem petiit non est adeptus; qui rem non tam religiose agebant competitores, consulatum a P. R. acceperunt in a. u. c. 703. a. C. 51. CATO enim praetura functus erat a. u. c. 700. a. C. 54. — Lex Pompeia, (qua ambitum foro pulsum dicit PLINIUS [3])) id effecerat certe, ut metu abstinerent multi a profusis illis lar-

maiestate: — qui reus est petere non potest (vide quae diximus p. 103 et 117. de CATILINAE petitione, repetundarum rei) igitur APPIUS non potuit quum iudicium maiestatis agebatur censuram petere; antea non potuit, quod extra urbem esset. Postulatus igitur est ambitus ob petitionem consulatus. Cf. CIC. ad Fam. III. 11 § 2.

1) PLUT. Cat. Min. 49.

2) CIC. p. Mur. 34 § 70 sqq.

3) PLUT. Cat. Min. 44 cf. FISCHERUS ad h. annum.

gitionibus; quod vero annis sequentibus huius criminis mentionem fere non invenimus, hac praesertim de causa factum esse arbitror quod POMPEII et CAESARIS contentiones magis magisque Romanos detinere coeperint; apertum erat quid CAESAR, perspicuum quid POMPEIUS moliretur. Hic consulatu suo tertio plebem omnino a se disiunxit; CAESAR sibi artificiose tenuiores Quirites devinxit. POMPEIUS leges tulerat, quas Romani oderunt; unamquamque illarum legum, si ita videbatur, ipse negligebat. CAESAR contra multas leges tulerat, quae populo gratae erant; quae sibi proderant per amicos ferendas curavit. [1]) Auro in Gallia parato emit Quirites, adiunxitque sibi milites, quos belli peritos, vincere solitos ex Gallia in urbem duxit, ubi POMPEIUS cum senatoribus debilibus se defendere non poterat. Sic CAESAR Dictaturam nactus, bonis repugnantibus (ut CICERONI certe videbatur) habitis comitiis consularibus, se ipsum consulem creandum curavit.

Operae pretium est videre, quam callide haec ipse CAESAR narret [2]): „dictatore habente comitia CAESARE, „consules creantur IULIUS CAESAR et P. SERVILIUS; is „enim erat annus, quo per legis ei consulem fieri li- „ceret [3]).” Ad quem locum animadvertendum est CAESAREM non eum esse, qui si res ita tulissent hoc legitimo decennio deterreretur, qui etiam citius consulatum caperet; praesertim quum triennio ante iam aegre tulisset quod a POMPEIO sibi vacatio legis data non esset, ut absens peteret. Deinde contra morem Romanorum erat

---

[1]) Vide v. c. Vatinias leges apud FISCHERUM a. u. c. 695. C. 59.
[2]) CAES. B. C. III. 1.
[3]) GRUCHIUS de Comitiis I. 3. p. GRAEV. Thes. 572. T. I. LIPS. de Magistr. c. 4. sqq.

antiquum ut is, qui comitiis praeërat ipse se creari pateretur; quod exemplo indicari potest legis Domitiae de sacerdotis.

Memorabilis de eo more locus est apud LIVIUM [1]), ubi Q. FULVIUS dictator doctus comitia habuisse fertur consularia. At ea comitia perfici non potuerunt. Galeria iuniorum, quae sorte praerogativa erat Q. FULVIUM et Q. FABIUM consules dixerat, eodem iure vocatae inclinassent, ni tribuni plebis se interposuissent, qui neque magistratum continuari satis civile esse aiebant, et multo foedioris exempli eum creari, qui comitia haberet.

Poterant inde nasci fraudes magnae, quas multi commiserunt postea in aliorum gratiam [2]). Leguntur in eo loco laudato apud LIVIUM pauca exempla in quibus obtinuit, ut crearentur magistratus in iisdem comitiis, quibus praeërant, sed hoc non erat *civile* i. e. quod nos diceremus, non decebat; „licuit quidem, sed „non erat honestum." Sed haec ferenda erant in CAESARE, qui hanc ipsam dictaturam emerat a consule PAULO talentis χιλίοις καὶ πεντακοσίοις [3]).

„Opere censorio nudatos et sententia iudicum de ambitu condemnatos," esse a CAESARE restitutos supra dixi [4]). Sed iam eo pervenerant servitutis Romani, orbis terrarum domini, ut CAESAR tute posset iis imponere magistratus, quos vellet: „comitia enim cum populo „partitus est, ut exceptis consulatus petitoribus, de „cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos „populus vellet, pronuntiarentur, pro parte altera quos

---

1) LIV. XXVII. 6.
2) PLUT. Cat. Min. 46. cf. PLUT. C. Grach. 12.
3) PLUT. Pomp. 58.
4) Cf. CIC. ad Att. IX. 14. X. 4 § 8. SUET. Caes. 41. Caes. B. C. III. 1.

„ipse edidisset [1]).“ Libello suos candidatos tribubus commendabat ut civium suffragio dignitatem suam tuerentur. Quod si fidem habeas iis, quae dixit BOUCHAUD [2]), „CAESAR non solum dimidiam partem ceterorum magistratuum creari curabat sed etiam consulatum amicis suis dabat; quod tamen ex verbis SUETONII l. l. quibus nititur BOUCHAUDII opinio, nemo facile conficiet. Recte vero hoc conficitur ex DIONE CASSIO, qui rem sic exponit [3]): Senatum omnium magistratuum creationem, etiam plebeiorum ad eum detulisse [4]); ipsique consulatum continuasse in decennium. Inde necessario factum est ut ipse diceret vel crearet sibi collegam in consulatu, cuius rei nonnulla exempla omnino contra morem maiorum narrat [5]). Ceterorum magistratuum creationem pro dimidia parte sibi reservabat [6]).

In hunc populum Romanum, qui talia ferebat convenit notum illud IUVENALIS [7]):

„qui dabat olim,
„imperium fasces legiones, omnia, nunc se,
„continet atque duas res tantum anxius urget
„panem et circenses:“

---

1) SUET. Caes. 41.
2) BOUCHAUD. op. l. p. 421.
3) Cf. Schol. ad LUCANI Pharsal. V. 393 sq. ad vocc.: „fingit „solemnia campus.“ Locus legitur apud WUNDERUM: *Variae Lectiones* in excursu de signific. voc. *diribere.* p. CLVI. init.
4) DIO CASSIUS XLIII. 45.
5) DIO CASSIUS XLIII. 46.
6) Vide v. c. quid CICERO exponat de comitiis habitis quum DOLABELLA crearetur consul iubente CAESARE. Phil. II. 33 § 82 sqq. Cf. 32 § 80, qui locus a multis interpretibus tentatus est. Cf. GÖTTLING. op. l. p. 391.
7) IUV. Sat. X. 78 sqq.

Adhuc unius legis mentio facienda esse videtur ex actis CAESARIS ab ANTONIO promulgatae, quae eodem iure ac lex Pompeia *de iure magistratuum* locum sibi vindicat inter leges contra ambitum latas, qua sancitum: „ne praetoriae provinciae plus quam annum, „neve plus quam biennium consulares obtinerentur [1]."

Habetis Viri Clarissimi! responsionem meam qualemcunque ad quaestionem de ambitus historia, quam splendido epilogo vobis commendare, nefas esse puto; — non enim in campo per blanditias sed a iudicibus honorem petimus, palmamque propositam; quam quum praestantiores aemuli mihi eripere possint, semper tamen prae me feram iucunditatem et utilitatem, quam ex ambitioso hocce labore percepi.

Felicem me praedicabo, si, quod sperare vix ausim, hanc opellam honoris praemio dignam iudicaveritis, sin secus accidat, erigat me Tullianum illud, quod symboli loco hic subscribo:

> „*Quod si quem aut natura sua aut praestantis „ingenii vis deficiet, aut minus instructus erit mag-„narum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, „quem poterit. Prima enim sequentem, honestum „est in secundis, tertiisve consistere.*"
>
> CICERO, Orator 1 § 4.

---

[1]) CIC. Phil. I. 8 § 19.